HENRICI DODWELLI

DE


GEOGRAPHORUM,

QUOS

Primum Volumen complectitur,

ÆTATE & SCRIPTIS

DISSERTATIONES.



OXONIÆ,

E THEATRO Sheldoniano. MDCXCVIII.

HENRICI DODWELLI

DE

GEOGRAPHORUM,

QUOS

Primum hoc Volumen continet,

ÆTATE & SCRIPTIS

DISSERTATIONES.

HENRICUS DODWELLUS

EDITORI S. P.

COmpertum habes (*V. C.*) *quàm ſim vel uni oneri ferundo impar. Et tamen, ecce,* nova *onera accumulas, ne quidem penſis priſtinis ad* finem *perductis. Nondum abſolvi quæ in tuum meditatus ſum* Thucydidem, *& jam vocas ad* Geographos. *Facit nimirum tua illa in me* benevolentia, *ut, cætera* æquiſſimus, *ſis tamen* virium *mearum arbiter parum æquus. Vides inde quàm ſim in rogatis tuis implendis* tibi *facilis,* mihi *autem* ipſi *durus. Non poſſum equidem tuæ vel* Amicitiæ *quidpiam facile negare. Et tamen habes præterea* (*quæ tecum faciunt hac in cauſa*) *alias quoque valentiſſimas apud* me *rationes*: Rei *nimirum* Literariæ publicæ *ſtudium, & benevolentiſſimæ in me* Academiæ. *Utinam his etiam aliquatenus inſervire noſtra poſſent! Hoc ut aſſequar, ne quidem ſpem* omnem *prorſus adimunt tantillæ meæ vires.* Minuunt *illæ quidem eam ſpem quæ ab* homine *pendet*; *eò tamen magis illam* augent confirmantque *quæ in* Deo *reponitur. Nos enim* Deum *colimus, qui* humilibus dat gratiam, *&* potentiam *ſuam maximam elucere facit in* inſtrumentis *omnium* contemtiſſimis. *Hac lege, cum Apoſtolo, mea* infirmitate *etiam* gloriabor, *dum faciet illa ad* Dei *gloriam. Vale.*

SUMMA DISSERTATIONUM.

DISSERT. I.

De ætate Peripli Hannonis.

§. I. V. Cl. *If. Vossii* de hujus Peripli *antiquitate* sententia. §. II. Nihil habebant cum *Perseo*, aut cum *Persei Gorgonibus*, commune *Hannonis Gorillæ*. §. III. Fabulam de *Gorgonibus*, multis post *Perseum* sæculis, primus excogitavit *Hesiodus*. §. IV. Nullam *Historiam* ob oculos habuisse videtur, cum fabulam de *Gorgonibus* comminisceretur, *Hesiodus*. §. V. *Gorgonum locus* prorsus *fictitius*. Primi, post *Hesiodum*, sedem earum in *Cyrenaica* statuisse videntur. §. VI. *Juniores* deinde alii ad *Cyrenen* aliam in freto *Gaditano* sitam *Gorgonas* retulerunt. §. VII. *Recentior* prædictis sententia de *Cyrene* aut *Cerne Atlantica*, quam tamen sequitur *Hanno*. §. VIII. Qui *Cernen*, vel *Gorgonas*, in *Oriente* & Mari *Erythræo* statuerint, *Hannone* juniores erant. §. IX. Sic tamen erit *Hanno* multo, quam volebat Cl. *Vossius*, recentior. Et falsi etiam evictus, quod *loca* memorarit plane *commentitia*. §. X. *Suspectus* erat, etiam apud Veteres, *Hannonis* ille *Periplus*. §. XI. Nullum *Hannonis* vestigium in *fluvio* Gorgonum *Palæphateo*. §. XII. Locum prope *Cernen* *Hannonis* nullum habere potuit *Anno Palæphateus*. §. XIII. Nihil faciunt *Phœnicum* coloniæ extra columnas *Herculeas* à *Strabone* memoratæ ad *Hannonem*. §. XIV. *Didone* antiquiorem *Carthaginem* fuisse, non est verisimile. §. XV. Committitur cum Chronologia *Sacra* Chronologia Regum *Tyriorum*. §. XVI. Prædicta Chronologia *Tyriorum* adstruitur è *Josepho*. §. XVII. Inde *annus* colligitur quo fugerit è patria *Dido*. §. XVIII. Inter *Olymp.* XCII, 4, & *Olymp.* CXXXIX, quærendus est *Hanno* hujus *Peripli* dux. §. XIX. Collegam habuit hic *Hanno Himilconem*. In *Agathoclis* Bello duces erant tam *Hanno* quam *Himilco*. §. XX. *Peripli* hujus meminit *Xenophon Lampsacenus*. Sed ejus *ætas* incerta. §. XXI. Primus meminit Auctor Operis περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, *Aristotele* ipso, non multo *junior*. Forte *Theophrastus*. §. XXII. *Scylax* non ex *Hannone*, sed ex antiquioribus Hannone *Phœnicum* Periplis, sua hausit. §. XXIII. *Periplum* post *Hannonis* mortem, sub illius *nomine* confinxit *Græcus* aliquis *Carthaginiensium* studiosus. §. XXIV. Periplus *hodiernus* à *Veterum* Periplo, qui sub *Hannonis* nomine confictus est, in multis admodum *mutatus* est.

DIS-

DISSERT. II.

De ætate Peripli Scylacis.

§. I. *Alius* est à *Scylace Caryandensi Herodoteo* juniorum *Scylax Caryandensis.* §. II. *Perierat* vetustior ille *Scylax.* Noster autem pro eo à *junioribus* acceptus, qui *duos* fuisse *Scylaces Caryandenses* ignorabant. §. III. Ex illo *errore* fluxit, quod *nostrum* hunc Periplum *Dario* inscriptum crediderint *recentiores.* §. IV. *Alium*, præter *Herodoteum Scylacem Caryandensem*, neminem agnoscunt *Veteres* præter illum qui scripsit in *Polybium.* Is ergo Peripli nostri *Auctor* habendus est. §. V. Non *potuit* Maris *Mediterranei* Periplum scribere *Scylax*, si adeo fuisset, quam volunt, *antiquus.* §. VI. *Emporia Carthaginiensium* in *Hispania* recentiora illis temporibus, quibus volunt scripsisse *Scylacem.* §. VII. Κελτοὶ ἀπολειφθέντες τῆς στρατείας paulo antiquiores *Polybio.* §. VIII. *Leucadem insulam* memorat *Scylax*, qualis facta est sub *secundo* demum *Philippo Macedone.* §. IX. *Messenes* Urbis mentio illum arguit saltem *juniorem* fuisse *Epaminonda.* §. X. E mentione *Corinthi* & *Carthaginis*, colligitur anno *Varr.* 608 ne quidem potuisse esse *juniorem.* §. XI. Meminit idem *Scylax* Urbis *Cii*, à *Philippo Macedone* anno *Varr.* 553 *excisæ*, postea vero à *Prusia Bithyniæ* Rege sub novo *Prusiadis* nomine *restauratæ.* §. XII. *Tyri* meminit *Scylax* sub *insulæ* nomine, quæ tamen ab *Alexandro* M. facta est *peninsula.* §. XIII. Hunc *Periplum* non ipse navigavit *Scylax*, sed ex aliis *singularum partium* inter se commissis *Periplis* pro *Mari Mediterraneo universo* ipse confecit. §. XIV. Θῆβαι τεῖχος Auctoris qui inter *Ol.* CXI, 2, & *Ol.* CXVI, 2, scripserit. §. XV. *Urbes* sæpe *antiquioribus*, quam pro *sua ætate*, nominibus recensent *Excerptores*, qualis erat *Scylax.* §. XVI. *Hodiernus* Periplus satis apte respondet primi Auctoris *consilio*, convenitque cum *Persona* ac *ætate Scylacis Polybiani.* §. XVII. Qualis fuerit *Scylacis Periodus.* Tam *Periodum* quam *Periplum* videtur scripsisse *juvenis.* §. XVIII. Quæ habet *Scylax* de ora Africæ *externa*, non ex *Hannone* videtur accepisse, sed potius à *Polybio.*

DISSERT. III.

De ætate scripti Agatharchidis *de* Rubro Mari.

§. I. *Agatharchides* sub *Ptolemæo Philometore* duntaxat *adolescens.* §. II. Idem *senex* cum de Mari scriberet *Erythræo.* §. III. Scripsit *Agatharchides* sub *Ptolemæo Alexandro*, cujus *Tutor* fuerat. Proinde inter ann. *Varr.* 649, & 666. §. IV. Sub *Alexandri* initio Regi *Ægyptio* parebat *Syria cava*, quæ non parebat *Ptolemæo Dionysio.* §. V. Et quidem *initio Alexandri* scripsit *Agatharchides* ann. *Varr.* 649, vel 650. Paulo ante *Artemidorum.* §. VI. Series accuratissima Successionis Regum *Ægyptiorum*, ab initio *Philometoris* ad finem *Cleopatræ*, è *Porphyrio.*

DIS-

DISSERT. IV.

De ætate & auctore Peripli Maris Erythræi.

§. I. *Salmasius* ipse, in hac causa, *dubius*. §. II. *Trajano* junior erat hujus Scripti Auctor. §. III. Ne quidem *natus*, cum *Arabiam* subjugaret *Trajanus*. Proinde *Arriano* junior. §. IV. *Scripsit* noster, ut videtur, sub *Marco* & *Vero*. §. V. Non potuit *Augustus* ille fuisse *Cæsar*, cujus meminit Auctor *Peripli*. §. VI. Novum *Taprobanes* nomen nescire potuit *Ptolemæo* paulo senior *Arrianus*. §. VII. Multa primus prodidit *Ptolemæus*, quæ *decessores* ejus latuerant. §. VIII. Alia erat Insula *Palæsimundi* à *Taprobane Ptolemæi*. Quod tamen nescivit ipse *Ptolemæus*. §. IX. Unde evenerit, ut de *Taprobane* adeo sibi non constarent *Veteres*. §. X. Insula *Palæsimundi* sub *Claudio* detecta, *cur* Salica postea fuerit appellata. §. XI. *Situs* Insulæ *Palæsimundi* inter *ostia* fluvii *Nanagunæ*. Longe *alius* à *situ Ceilanis*, quæ *Taprobane* erat *Ptolemaica*. §. XII. Hujus *utriusque Taprobanes* notas confundit *noster*, proinde *Ptolemæo* saltem *coævus*. Quod facit etiam *Marcianus Heracleota* Ptolemæo *junior*. §. XIII. Noster *Veterum* errores nullos correxit è *coævis*. §. XIV. Quod *Regum* eorundem meminerit *noster*, quorum meminit *Plinius*; non proinde sequitur illum *Plinio* fuisse *coævum*. §. XV. Sæpe *nominibus* Regum, qui *olim* decesserant, *Regiones* solent designare *juniores*. §. XVI. *Indicæ* Navigationis *compendium* sub *Claudio* invenit *Hippalus Alexandrinus*. §. XVII. Habet noster alia *Hippalo*, ipsoque *Plinio* recentiora. §. XVIII. *Ceprobotis* & *Pandionis* nomina in *Regnis* illis fuisse videntur *hereditaria*. §. XIX. Ita ni fuisset, *Pandion* certe non *Plinii* vixerit temporibus, sed *Augusti*.

DISSERT. V.

De ætate Peripli Maris Euxini.

§. I. Sub *exitum Hadriani* de Mari *Euxino* scripsit *Arrianus*. §. II. *Arrianus*, cum hæc scriberet, *Provinciam* habebat *Cappadociam*. §. III. *Cappadociæ* anno *Hadriani* XX° præerat *Arrianus*. §. IV. *Initio* præfecturæ ante Bellum cum *Alanis*, ann. *Chr.* 137, hunc *Periplum* scripsit *Arrianus*. §. V. Horum certe *temporum*, & hujus etiam *Principis* indolem referunt quæ hoc in *Periplo* tradit *Arrianus*. §. VI. *Arrianus* hic *Peripli* Auctor, & Præses *Cappadociæ*, idem cum Philosopho *Epicteti* Discipulo. §. VII. Prima *Arriani* Scripta de *Epicteto*, paulo post mortem *Epicteti*. §. VIII. *Scriptis Arriani* recentiores erant ejusdem *honores*. §. IX. *Epictetus* sub *Hadriano* mortuus. §. X. *Mortuus* antea quam nasceretur *Gellius*: qui tamen sub *Hadriano natus*, floruit etiam sub *Pio*, temporibus *Hadriano proximis*. §. XI. Mortem *Epicteti* sub *Hadriano* statuendam etiam è *Luciani Demonacte* colligitur. §. XII. *Epictetum* ab anno Ær. *Chr.* 104 audivit *Arrianus*. §. XIII. Anno *Chr.* 147 *secessus Arriani* post *honores*, quo *postremas* scripserit *Historias*.

§. XIV. *Arriani* honores *Romani* non adeo *Legibus* Romanorum *Annalibus* congrui, quam eorum qui *primo* ortu fuerant *Romani*. §. XV. Scripsit *Arrianus* de *Alexandro* M. aliaq; *Historica* post *Secessum*. §. XVI. *Marci* tempora fortassis attigit *Arrianus*. §. XVII. In Chronico *Paschali* pro *Africano* sorte reponendus *Arrianus*.

DISSERT. VI.

De Arriani Nearcho.

§. I. Scripsit, ut videtur, *Nearchi* Periplum *Arrianus*, paulo post Expeditionem *Alexandri* M. antea quam innotesceret Geographia *Ptolemæi*. §. II. Nec nomina locorum *omnia* complexus est *Arrianus*, quæ apud ipsum repererat *Nearchum*. Et tamen viceversa locorum *spatia*, quæ nulla fuerant in ipso *Nearcho*, ipse addidit. §. III. Cur *spatia*, quæ nulla erant in *Nearcho* & *Onesicrito*, illis tamen tribuerint *juniores*. §. IV. Nullæ erant in *Nearcho*, vel *Onesicrito*, continuæ *mansiones*. §. V. A *Juba* Rege ad *Romanos* emanavit tam *Nearchi* Paraplus, quam *Onesicriti*. §. VI. Primus *Nearchi*, non tamen *Parapli* ejus, meminit ante *Jubam Diodorus*. Et *scripti* meminit à *Nearcho* Parapli proximus *Jubæ Strabo*. §. VII. Ignotus *Nearchus Agatharchidi*, *Eratostheni*, primisque rerum *fabulosarum* collectoribus. §. VIII. Proximis *Alexandro* temporibus *Indus* cum *Nilo* junctus credebatur. Quod *credi* non potuit, si ullus *tunc* fuisset *Nearchi Paraplus*. §. IX. Sub *postremis* præsertim *Ptolemæis* confictæ pleræque de *Alexandro* Historiæ. Certe hæc *Nearchi*. §. X. *Paraplus Nearchi* majoris Operis erat tantummodo *pars*: uti etiam *Onesicriti*. §. XI. *Onesicritus* etiam falso *suspectus*.

DISSERT. VII.

De scriptis & ætate Marciani Heracleotæ.

§. I. *Itineraria* collegit *Marcianus*, forte *Occidentalis* atque *Orientalis* Imperii. §. II. Contraxit, supplevitque Geographiam *Artemidori*. §. III. Similiter fecit in *Menippo*, qui *Marciano* ipso non *multo* senior fuisse videtur. §. IV. De *Menippi ætate* alia. §. V. Opus *Marciani* hîc Editum aliud ab ejusdem *Artemidoro* & *Menippo*. Ætas *Protagoræ*. §. VI. Multa *aliena* immista habet hoc Opus *Marciani*. Nonnulla etiam ex ejus *Menippo*. §. VII. *Menippus* forte sub *Commodo*. §. VIII. *Formæ* quibus *Marciani* Scripta designantur à *Stephano*. §. IX. *Medius* inter *Menippum* & *Marcianum Agathemerus* antiquior *Constantinopoli*. §. X. *Scholiastes Apollonii* junior *Marciano*, quarto saltem Sæculo *exeunte* antiquior. §. XI. Noster *Marcianus* antiquior, ut videtur, *Marciano Synesii*; eoque qui floruit sub *Valente*.

DISSERT. VIII.

De Periplo *Anonymo Euxini* Maris.

§. I. *Scymni Chii Iambus* an noster *confuderit* incertum est. §. II. *Arriano*, quem in multis sequitur noster, proinde junior *Anonymus*. §. III. Periplus *Euxini* Maris ab *Arriano* scriptus non est (ut Cl. *Vossio* videbatur) *mutilus*. §. IV. *Romana*, quæ adhibet noster, *miliaria* à *veterum Romanorum miliarium* forma plane *aliena*. §. V. *Miliaria* illa è *Græcorum juniorum ratiociniis* nata. Et quo demum *progressu*. §. VI. Et quidem, ut videtur, *Constantinopolitanorum*. Sed paulo ante *nomen* ipsum *Constantinopolis*. §. VII. Proinde hujus Peripli Auctor esse non potuit *Alypius*, cujus meminit *Julianus* Apostata. §. VIII. Locorum *eorundem* nomina diversis *linguis* poterant sibi invicem fuisse *coævа*. §. IX. *Daphne Sosthenii* ad discrimen *Daphnes Antiochenæ*: antiquior ipsa *Daphne Sergii* suburbio *Constantinopolis*. §. X. *Aulæi teichi* novum nomen *Theræ* post *Arrianum*, sed ante tabulas *Peutingerianas*. *Apolloniæ* nomen apud *Marcianum Heracleotam*. Eadem *Sozopolis* tempore forte *Constantini*. §. XI. Potuit hic noster *Byzantii* nomen usurpare, etiam postquam condita esset *Constantinopolis*.

DISSER-

DISSERTATIO PRIMA.

De vero *Peripli*, qui *Hannonis* nomine circumfertur, *tempore*.

§. 1. V. Cl. *Is. Vossii* de hujus Peripli *antiquitate* sententia.

HANNONEM longe, quam vulgo habebatur, *antiquiorem* censuit Vir sane Maximus, mihique (dum in vivis esset) amicissimus *Isaacus Vossius*. Nunc enim illum ducem fuisse credidit in expeditione quam *Phœnicibus* tribuit *Strabo*, paulo post excidium *Trojanum*: nunc rursus facit *adhuc* antiquiorem, & *Perseo* æqualem, cæsæque à *Perseo* [1] *Gorgoni*. Proinde commentario perpetuo Geographum hunc (quem omnium antiquissimum arbitratus est) illustrare decreverat. Hæc nos docent ingeniosissimæ illius in *Melam* Observationes. Utinam fidem liberasset. Edidisset enim & alias sententiæ suæ rationes, & multa alia proculdubio docuisset scitu dignissima Vir *Geographiæ veteris* peritissimus. Nunc illas tantummodo *rationes* illius compertas habemus, de quibus *obiter*, aliudque agens, monere dignatus est. Dignas tamen quæ ad examen revocentur.

§. 2. Nihil habebant cum *Perseo*, aut cum *Persei Gorgonibus*, commune *Hannonis Gorillæ*.

Perseo coævum fuisse suspicatus est, quod *Gorgonis* à *Perseo* detruncatæ Historiam omnem ab *hirsutis* hisce *Hannonis mulierculis* emanasse crederet. Id si verum, sic *Hercule* ipso fuisset antiquior. Unde ergo mentio *columnarum Herculearum* in ipso *Periplo*? Aliquot certe Epochis *Hercule* antiquiorem *Perseum* censet *Clementis Alexandrini* [2] *Thrasyllus*. Imo *proavum* Herculis *Maternum* facit [3] *Diodorus*. Sed *Gorillas* hirsutas hasce mulieres appellatas testatur [4] *Hanno*. Non tamen habet cum *Gorgonum* nomine adfine quidpiam illud nomen, ut censuit Vir doctissimus. *Gorillas* illas appellabant, non *Græci*, ne quidem *Pœnus* ipse *Hanno*; sed *Interpretes Lixitæ*. Vocem ergo *Afram* fuisse verisimillimum est *Gorillarum*, cum tamen *Græca* sit appellatio *Gorgonum*. Ego ne quidem *res* ipsas invicem affines fuisse suspicor. De *pellibus* Gor-

1 De Magnitud. *Carthag.* p. 52. 2 Ap. *Clem. Alex.* Strom. I. 3 *Diodor.* L. IV. p. 151. D. 4 *Hann.* p. 5.

gonum *hirsutis*, nihil quicquam *Græci Mythologi*. Ad *vultus* Gorgonum spectant omnia quæ in *Gorgonibus* horrenda fabulantur fuisse *Poetæ*. *Vultus* enim nomine *caput* complectimur universum, quod fecere etiam Veteres. Et sane ab *oculorum* acumine, & vultus *torvitate*, Gorgones appellatæ sunt, quæ duæ sunt hujus vocis, apud *veteres*, significationes, nihil habentes commune cum *pellibus hirsutis*. Sic *Ægidum* πρόσωπα prima sua significatione denotabat vox Γοργόνες, ut ex *Hesychio* colligitur; inde pro ipsis usurpabatur *clypeis*. Ita Γοργεῖα προσωπεῖα *Hesychio*. Τὰ τραγικὰ πρόσωπα vel μορμολύκεια Auctori *Etymologici Magni*. Quod Tragœdorum *larvas* designarit, usum illum à *Doriensibus* emanasse docet *Suidas*. Γοργία (inquit) παρὰ Δωριεῦσι, τὰ τῶν ὑποκριτῶν προσωπεῖα, τῶν ἀπὸ τῆς σκηνῆς τραγῳδῶν. Nihil ergo est necesse ut à *Barbaris* vocis hujus originem arcessamus, cujus origo tam facilis peti potest ex usu *Græcæ* vocis inquilino. Sed ne quidem illud certum est, *Persei* temporibus ullas fuisse *Gorgonas*. Nullæ erant certe unquam, quæ *Persei* temporibus *propinquæ* fuerint, *Historiæ Græcorum*, ut alibi [1] observavimus. Imo nulli, qui vel olim extiterint *Poetæ*. Fallitur autem Vir doctissimus, cum ex *Historiis* Poetarum fabulas *ortum* duxisse censet. Id enim quo pacto fieri potuit, cum tempus *Mythicum Historico* antiquius agnoscat apud *Censorinum* [2] *Varro*? Cum *Poetas Græcorum* eorundem *Historicis* antiquiores fuisse manifestum sit? Cum *Historici*, quo *antiquiores* sunt, eo sint etiam *fabulis* addictiores? Vel inde colligitur vice versa, à *Poetarum fabulis* ortum accepisse primos *Historiæ* pedestris Auctores; non autem ab *Historiis* ansam accepisse *Poetas*.

§. 3. Fabulam de *Gorgonibus*, multis post *Perseum* seculis, primus excogitavit *Hesiodus*.

Hæc autem de *Gorgonibus* fabula, quamvis *Perseo* à Mythologis affixa, *Persei* tamen *Seculo*, multis etiam *Seculis*, recentior est. Primus enim illam excogitavit *Hesiodus*. Proinde aliò Γοργῶ, cujus meminit *Homerus*, retulere Grammatici. *Hesychius*: Γοργὼ, γοργότης. Πέπλασται δὲ ὥσπερ τοῖς ἄλλοις ποιηταῖς, ὡς ζηλοχρύσω. Rationem hujus observationis addit illam, sententiæ nostræ plane congruam: Τὰ γὰρ περὶ τὴν Δανάην, καὶ τὸν Περσέα, καὶ τὰς Γοργόνας, Ὅμηρος οὐκ οἶδε. Hîc sane se de *Danae*, ipsoque *Perseo*, dubium ostendit hic, quicunque demum fuerit *Homeri Scholiastes*, pariter ac de *Gorgonibus*, ulline unquam in rerum natura fuerint, antea quam de illis *fabulas* comminisceretur *Hesiodus*. Perperam, si vera fuisset sententia Magni *Vossii*, ansam *Poetas* fabularum suarum è vera *Historia* semper accepisse. Sic enim nihil obstitisset quo minus *Danae*

1 Prælect. Inaug. & Diss. III. §. 2. de Vet. *Græc.* & *Rom.* Cyclis. 2 Ap. *Censorin.* c. 21.

Perseusque

Perſeuſque Homero innoteſcere potuerint, cum tamen nondum *Perſei* in *Gorgonas* expeditionem confinxiſſet *Heſiodus*. Nec porro ex *Hiſtoria*, ut volebat Vir ſcientiſſimus, *Barbara Gorgonas* ſuas exſculpſiſſe *Heſiodum*; ſed è vocis potius *Græcæ* Etymo, docet idem *Heſychius*, vel potius *antiquior* aliquis, cujus ſcrinia compilarit *Heſychius*, *Homeri Scholiaſtes*. Sic enim habet, paucis interpoſitis: Γοργείην κεφαλὴν οὐ τὴν Γοργόνα, ἐκληπτέον, ἀλλὰ Γοργότητά τινα καὶ φόβητρον. Ἡσίοδος δὲ πλανηθεὶς, ἀνέπλασεν ἐκ τούτων τὰ περὶ τὸν Περσέα, ὅτι ἀπέτεμε τὴν κεφαλὴν Γοργόνος. Itaque neceſſe non eſt ut *Heſiodo* fuerit *antiquior*, qui *Gorgonum* meminerit ab *Heſiodo* confictarum. *Heſiodum* autem ad *Thaletis* tempora revocandum eſſe alibi [1] probavimus. *Homero* autem *junior* eſſe potuit, ſi recte obſervarit antiquior *Heſychii* Lexicis Grammaticus, *Homerum* latuiſſe illas *Perſei Gorgonas*. Imo ex *Homero*, ex his nimirum *Homeri* verbis, Γοργείην [2] κεφαλὴν, *Heſiodo* anſam fuiſſe docet *Gorgonas* confingendi. Sunt enim illa *Homeri* verba in *Odyſſea*. Et proinde veteris cujuſdam in *Homerum Scholiaſtis* verba illa fuiſſe veriſimile eſt, quæ in Theſaurum ſuum retulerit *Heſychius*. Proxime nempe è *Diogeniano* fortaſſis emanarint, qui tamen ipſe ex antiquioribus collegerit, qui Lexica *Homerica* confecerint ante *Diogenianum*: vel *Apione* ſcilicet *Alexandrino*, vel *Apollonio* filio *Archebii*, vel *Herodoro*, vel ipſo denique *Ariſtarcho*. Horum enim in *Præfatione* ipſe meminit *Heſychius*. Potius ergo colligendum erat vice verſa, ſi *Gorgonum* meminiſſet *Hanno*, longe illum *recentiorem* fuiſſe quam volebat præſtantiſſimus *Voſſius*.

§.4. Nullam *Hiſtoriam* ob oculos habuiſſe videtur, cum fabulam de *Gorgonibus* comminiſceretur, *Heſiodus*.

Huc ſane convenit, quod *Gorgonis* nulla, apud *Homerum*, occurrat mentio; ſed Γοργοῦς tantummodo, & Γοργείης κεφαλῆς. Et quidem ita, ut animalium *vultus* in *clypeis* depingi ſolitos denotet. Erant autem illi *torvi* admodum, & proinde animalium maxime *tremendorum*, ut poſſent hoſtibus *terrorem* incutere. Plerunque ergo *ferarum*. Sic *urſi* & *leonis* προτομὰς legimus in *clypeis Tydei* [3] & *Polynicis*. Et *Libycas* etiam *Gorgonas feras* fuiſſe multi exiſtimabant. Talem ergo προτομὴν (cujuſcunque demum fuerit *animalis*) in *Palladis ægide* repræſentari ſolitam fuiſſe veriſimillimum eſt. Et quoniam *terrendi* hoſtis cauſa tales προτομαὶ *clypeis* inſerebantur, inde factum ut cujuſcunque generis *terriculamenta Gorgones* appellarentur. Sed *Gorgonis fabulam* primus, ut vidimus, effinxit *Heſiodus*; vocabulo tamen nondum novato. Γοργοὺς [4] enim, non Γοργόνας, appellavit ſorores illas, quarum unam *Perſeus* interfecerit. Et *ſitum* illarum ponit ultra *Oceanum*, nec longe ab *Heſperidibus*.

1 Diſſ. III. de Cycl. § 7, 8. 2 Odyſſ. λ'. fin. 3 *Apollodor.* Biblioth. 4 *Heſiod.* Theog. v. 275.

Non certe propterea, quod *insulas* ullas ibi sitas in sui Seculi *Geographia* haberet exploratas. Imo illa potius de causa, Poeticis fabulis magis idoneæ erant *Occidentis Insulæ*, quod *minus* hactenus innotuerant; quod minor etiam metus esset (propter *Nauticæ* artis coævæ imperitiam) ne unquam vel *posteris* innotescerent. Ita certe ad hunc *Occidentis* Oceanum *Herculis* expeditionem in *Insulas fortunatas* retulerunt, quò ipsum in *scypho* [1] trajecisse fabulabantur, quem à *Sole* acceperit: ad eundem ἄπιστα ὑπὲρ Θούλης: ad eundem sedes *Beatorum*; *Insulas* nimirum illas ipsas *fortunatas*: ad eundem fabulam *Platonis* [2] de *Atlantide* insula, quæ major fuerit orbe cognito, quam tamen Oceanus absorpserit: ad eundem *juniorum* Platone aliorum *fabellas* plane similes sub nomine *Atlantiorum*, à quibus ortum habuit situs *Gorgonum*, quà certæ regioni asserebatur, quem nihilominus pro *vera* venditat *Historia* Vir Doctissimus: ad eundem denique & illam quoque *Plutarchi* fabulam de insula *Ogygia*. Ex his tot exemplis abunde manifestum est, receptissimum fuisse *fabulatoribus*, ut scenam fabulis ponerent in *Oceano*, præsertim *Occidentali*. Hæc vero *fabula* cur potius *Occidenti*, cur etiam *Libyæ* assignaretur, erat præterea *propria*, & è *rei* ipsius natura petita ratio. *Infernis* enim numinibus *Gorgonas* accenset [3] *Maro*. Proinde *tenebrarum* plagæ recte assignandas, ut bona numina *lucidis* assignare solent regionibus. Erat præterea *monstris* infamis *Libya*, eoque nomine portentosis hujusmodi clypeorum *terriculamentis* aptissima. Hæc, puto, habuit in animo *Hesiodus*, cum *Hesperidibus* propinquas *Gorgonas* fuisse statuit. Sed nondum *Libyæ* meminit *Hesiodus*. Ea tamen cum Geographis *antiquissimis* partem Orbis tunc noti *tertiam* designaret, *junioribus* autem partem *Libyæ* antiquissimæ duntaxat *Occidentalem*; inde factum ut ætatis *Mythicæ* res *Hesperias* in *Libya* quærerent primi *navigatores*, & quidem in *Libyæ* parte *Occidentali*. Coævi enim [4] *Herodoto Ægyptii Perseum* in *Gorgonas* iter meditantem per *Ægyptum* eo in *Libyam* contendisse à majoribus acceperant. Sed ubinam *sita* esset *Gorgonum* regio, non ex *Historiis* exploratis, sed è nautarum *ratiociniis* hausere juniores. Ita enim evenire consentaneum erat in *Historia* quæ originem à *fabulis Poetisque* deduxerit. Id enim operam dederunt primi *Historici*, ut *fabularum sedes* & *origines*, cum non possent ex antiquioribus (quæ nullæ olim extabant) *Historiis*; saltem è *conjecturis*, quas pro verisimillimis habebant, assequerentur. Ita nulla prorsus est ratio, cur primis *Græcorum Historicis*, in rebus ab *ætate* sua admodum *remotis*, fidem certam habeamus. Quod tamen fecit, cum quo nobis res est impræsentiarum, Vir longe celeberrimus.

1 *Apollod.* Biblioth. 2 *Plat.* Tim. 3 *Virg.* Æn. VI. v. 289. 4 *Herodot.* II. 91.

Certe,

§. 5. Gorgonum locus prorsus fictitius. Primi, post Hesiodum, sedem earum in Cyrenaica statuisse videntur.

Certe, quod ad hanc, in qua versamur, causam attinet; *Gorgonum* fabulam illis accenset [1] *Eratosthenes*, quæ locis *fictis* adscriberentur, ne quidem ipso refragante *Strabone*. Quà scilicet rebus *Ilio*, *Pelio*, *Idæ*, adsignatis (quæ loca *vera* erant) erant opponendæ. Similiter alibi fabulatoribus illos, qui τὴν τῶν Γοργόνων καὶ Ἑσπερίδων κατοικίαν designaverant, apud eundem *Strabonem*, adjunxit etiam [2] *Apollodorus*. Perperam ergo inde ad *vere* susceptas *Navigationes* Argumentum petiit Vir doctissimus. Nec sane id immerito Viros tantos asseruisse, ex ipsa *sententiarum discordia*, de *Gorgonum Hesperidumque* situ, facile colligimus. Argumento scilicet eodem unde ratiocinabatur *Eratosthenes*. *Gorgonas* nonnulli in *Cyrene* prope *Ægyptum* constituisse videntur. Ita fortassis *Ægyptii*, quos ait [3] *Herodotus*, *Perseo* in illas meditanti iter per *Ægyptum* tribuisse. Seu enim *Argo* ille, seu *Seripho*, profectus fuisset; nimius profecto fuisset error, si per *Ægyptum* ultra columnas *Herculeas* expeditionem suscepisset. Hunc situm exinde colligebant, ni fallor, quod *Hesperidibus* propinquas fecerat fabulæ de *Gorgonibus* primus Auctor *Hesiodus*. Certe *Hesperidum* insulas in *Cyrenaicæ* μεθορίῳ posuit [4] *Eratosthenes*. Ita olim appellatas esse *magnæ Syrtis* insulas *Cyrenaicæ* prætensas, vel ex hoc ipso *Eratosthenis* loco manifestum est, quamvis fugerit doctissimum *Casaubonum*. Idem tamen etiam *Casaubonus* agnoscit urbem *Cyrenaicæ Berenicem* Ἑσπερίδα *Stephano*, *Hesperidum* autem à [5] *Plinio*, appellari. Et *Hesperidum* λίμνην fuisse, in quem fluvius *Ladon* exiret, idem docet [6] *Strabo*. Sic enim legendum, non (ut voluit *Casaubonus*) λιμένα. Etiam *Hesperidum hortos* hoc loco positos, non [7] *Strabo* modo, verumetiam *Plinius* [8] ipse testatur. Et quidem *Plinius*, Auctore *Theomene*. Etiam antiquior *Plinio* [9] *Scylax*, & Plinio junior [10] *Ptolemæus*, *hortos* agnoscunt *Hesperidum* in hac eadem regione *Cyrenaica*. Hi *Plinio* etiam suffragantur, urbem *Berenicem Hesperidum* plurali nomine designanti: quod facit ipse quoque *Stephanus* in voce Μάσκωτος. *Locum* præterea, quo fuerint hi *Hesperidum horti*, designavit, ut puto, *Plinius*, si tamen recte verba illius, & pro Auctoris sententia, constituantur. Sic autem habent: [11] *Theomenes, juxta Syrtim magnam hortum Hesperidum esse, ex quo in stagnum cadat, colligi vero à virginibus Hesperidum.* Illud *stagnum* τὴν ἀπὸ Λάθωνος ποταμοῦ ἐκτρεπομένην λίμνην appellat *Ptolemæus*. Itaque huc spectat

1 Ap. *Strabon.* L. I. p. 22. 2 Ap. *Strabon.* L. VII. p. 299. 3 *Herodot.* II. 91. 4 Ap. *Strab.* L. II. p. 123. 5 *Plin.* N. H. V. 5. 6 *Strab.* L. XVII. p. 836. D. 7 *Strab.* L. XVII. p. 838. D. 8 *Plin.* N. H. XXXVII. 2. 9 *Scyl. Peripl.* p. 46, 47. 10 *Ptolem.* Geogr. L. IV. c. 4. 11 *Plin.* N. H. XXXVII. 2.

locus

locus *Strabonis*, quem ita repræſentavit [1] *Caſaubonus*: Ἔστι δὲ καὶ λιμὴν Ἑσπερίδων, καὶ ποταμὸς ἐμβάλλει Λάδων. Hinc ergo manifeſtum eſt, quod dixi, etiam in *Strabone*, pro λιμὴν, reponendum eſſe λίμνη, ut veterem quoque *Strabonis Interpretem* ipſe item obſervavit legiſſe *Caſaubonus*. Hoc volebat fortaſſe *Plinius*, in illo *Heſperidum ſtagno* earundem etiam fuiſſe *hortum*, ut cadentes ex horto *fructus* à *ſtagni* incolis *nymphis Heſperidibus* colligerentur. Videmus hic *fluvium* fuiſſe *Ladonem*. Et ſane *Ladonem* pro *ſerpente*, qui *mala aurea* cuſtodiebat, habebat [2] *Apollonius*. Hoc quoque ſatis apte pro decoro *Poetico*, ut *ſerpentis* nomine *fluvius* inſigniretur. *Fluvios* quippe [3] ἕρπειν & [4] σύρεσθαι dicunt Poetæ, quæ tamen ambo propria ſunt *ſerpentum*, quorum nomen ipſum à *ſerpendo* deducitur. Utriuſque vocis in *fluviis* exempla ſuppeditat, ne longius abeam, *Dionyſius*. Convenit etiam hoc, pro hoc *Heſperidum ſitu*. Ne autem dubitemus ipſos illos cenſeri *hortos* quos ab *Hercule* expilatos fabulabantur Poetæ, habet prætere *Ptolemæus* in eadem *Cyrenaica* duo *Herculis* monumenta, quorum neutrum ab his *Heſperidum hortis* longe diſtarit. Nec deerit forte alia *Heſperidum* nota *Heſiodea*, pro rudi temporum illorum *Geographia*. Ait *hortos* illos, ipſaſque *Gorgonas*, fuiſſe πέρην κλυτοῦ ὠκεανοῖο, & Ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός. *Mare* enim *Mediterraneum Oceani* nomine intelligere poterant, ut *Pontum Euxinum Oceani* nomine appellatum obſervavit apud *Homerum* [5] *Strabo*. Et ἐσχατιὴ pars illa *Cyrenaicæ* cenſeri potuit, dum nondum conſtaret, ultra citimum *Syrtis magnæ* latus *Libyæ* continens eſſetne extendenda. Legerat certe *veteres* etiam [6] *Servius*, qui *hortos Heſperidum circa Syrtes* collocarint, nec longe à civitate *Berenice*. Et *infrequentes*, antiquiſſimis temporibus, ulteriores illas *Libyæ* partes fuiſſe, ne quidem diffitetur [7] *Strabo*. Hæc ergo antiquiſſima fuiſſe videtur de ſitu *Gorgonum* & *Heſperidum* ſententia. *Hiſtoricorum* ſcilicet *antiquiſſimorum*, quique *proxime* ætatem attigerint ipſius *Heſiodi*.

§. 6. *Juniores* deinde alii ad *Cyrenen* aliam in freto *Gaditano* ſitam *Gorgonas* retulerunt.

Paulatim deinde exculta *navigatione*, conſtabat *Oceanum*, ſupremumque *Occidentis* terminum, ulterius fuiſſe quærendum. Tum ergo ad ipſas *Herculis columnas*, fretumque *Gaditanum*, conſtituebantur *Heſperides*, & proinde *Gorgonum* regio *Heſperidibus* vicina. Hanc ſequebatur ſententiam [8] *Palæphatus*. Sic tamen ut prioris ſententiæ veſtigia in ea conſtarent. *Phorcynem* enim *Gorgonum* patrem *Cyrenæum* fuiſſe ſtatuit. *Cyrenem* autem *inſulam* facit ex-

1 *Strab.* L. XVII. p. 836. D. 2 *Apollon.* Argon. L. IV. 3 *Dionyſ.* Perieg. v. 222. 4 *Dionyſ.* ib. v. 16, 433, 660, 796, 1139. 5 *Strab.* Geogr. L. I. p. 21. 6 *Serv.* ad *Virgil.* Æn. IV. v. 485. 7 *Strab.* L. I. 8 *Palæph.* de Incredib.

tra

tra *columnas Herculeas*, in quibus regnarit ipſe *Phorcyn*. Has *columnas*, pro numero *Gorgonum* ipſarum, *tres Inſulas* fuiſſe credidit, è veterum nonnullorum ſententia, quorum meminit [1] *Heſychius*. Sed eo loco nec *Cyrenen* ullam in bono legimus Auctore; & ne quidem *Cernen*, quæ pro ea poſſet (vel per errorem) uſurpari. Nullam certe, qualem eſſe vult *Palæphatus*, illius nominis *Inſulam*. Itaque non aliunde ortam fuiſſe veriſimile eſt hanc tam alieni ſitus *Cyrenen*, quam quod olim in *Cyrenaica* celebres illos *Heſperidum hortos* ſtatuiſſent primi poſt *Heſiodum Hiſtorici*. Hæc ergo illa eſt, ni fallor, *Cyrene*, quam *Iberiæ* tribuit *Stephanus*, quod ſcilicet oræ *Hiſpaniæ* maritimæ prætenderetur. Et ſane ante tempora *Æſchyli* hucuſque *Heſperidas*, & proinde *Gorgonas*, protulerant *Hiſtorici*. Iter enim *Herculis* à monte *Caucaſo* ad *Heſperidas* per *Ligures* futurum docet apud illum *Prometheus*, quo certe terrarum tractu non *Heſperides Cyrenaicæ*, ſed hæ potius *aliæ* petendæ erant, quas ad fretum *Gaditanum*, ſeu *columnas Herculeas*, poſitas oſtendimus. Eidemque fortaſſe *Cyrenes* ſitui convenit, quod ait *Palæphatus*, *Perſeum Gorgonibus* inſidiatum, factis inter *Cyrenen Sardoſque* prædationibus *maritimis*. Intelligit nimirum mare *Sardoum* à *Sardinia* ita appellatum, quod certe proximum *Heſperio*, in quo *ſitæ* illæ erant *Heſperides*, faciunt veteres *Geographi*. Niſi forte *Inſulæ* conveniunt, non longe à *Corſica*, quam *Urgonem* appellant [2] *Mela* atque [3] *Plinius*, & *Martianus* [4] *Capella*, & in ipſo illo *mari* ſitam *Sardoo* populationibuſque ex inſula *Sardinia* magis opportunam. *Gorgonem* enim illam appellat [5] *Rutilius* , *Gorgonem Gregorius* [6] *Magnus*, Ὀργῶνα *Stephanus*, & vetus etiam *Plinii* codex, teſte *Dalecampio*. Ea *la Gorgona* etiam recentioribus. Ex *veterum* forte traditione quæ olim inſulam illam *Gorgonibus* aſſignaverat. Ita miſcuerit invicem *Palæphatus* variarum de ſede *Gorgonum* ſententiarum *traditiones*. Ad *columnas* enim *Herculeas* ſuam *Gorgonum* ſedem *Cyrenen* ſtatuit ipſe *Palæphatus*. Trium ergo *Heſperidum Inſularum* nomine, pro his rationibus, ni fallor, intelligendæ erunt *inſulæ* illæ, quæcunque demum fuerint, quas *columnarum Herculearum* nomine intelligebant nonnulli veteres, quaſque *tres* fuiſſe docet *Heſychius*. His enim ipſis *columnis Phorcynem Gorgonum* patrem regnaſſe ſtatuit *Palæphatus*. Ut proinde non *vicinæ* tantummodo, verumetiam penitus *eædem*, fuerint, pro his hypotheſibus, *Heſperidum Inſulæ* atque *Gorgonum*. Harum unam *Gaditanam* fuiſſe, vix eſt quod dubitemus. Secundam illam fuiſſe puto, quam *Solis* appellant veteres. Tertiam illam, quam *Junonis fanum* vocant. Quamvis hanc ultimam *in-*

1 *Heſych.* Στήλ. 2 *Mela* L. II. c. 7. n. 128. 3 *Plin.* N. H. III. 6. 4 *Martian.* Cap. L. VI. 5 *Rutil.* Itiner. 6 *Greg.* M. L. I. Ep. 50.

ſulam

ſulam fuiſſe negat *Ptolemæus*. Sufficit autem ad has Poetarum fabulas, ſi fuerint olim qui has (rectene an ſecus) *inſulas* tamen *veras* ſaltem fuiſſe crediderint. Porro [1] *Pindarus Hyperboreis* aſſerit tam *Heſperidas* quam etiam *Gorgonas*. Nempe, quia etiam *Hyperborei* (quos dubitat ulline fuerint [2] *Herodotus*) etiam ipſi, quippe parum cogniti, idonei crediti ſint quò *fabulæ* eſſent referendæ. Id certe docent fabulæ de *Abaride Pythagoreo*. Sed *Scholiaſtes* nullos fuiſſe obſervat *Hiſtoricos*, qui *Pindaro*, ut ita aſſereret, Auctores eſſe potuerint. Itaque ad cauſam noſtram ſententia illa nihil facit, qui de re agimus *Hiſtorica*. Refert præterea *Heſperidas* [3] *Dionyſius* ad *Caſſitaridas*. Sed illa, ni fallor, ſententia erat Auctorum hoc ipſo *Hannone* juniorum.

§. 7. Recentior prædictis ſententia de *Cyrene* aut *Cerne Atlantica*, quam tamen ſequitur *Hanno*.

Quo autem *remotius* Heſperidas *Gorgonaſque* hoc modo deſignatas à *cognita* Orbis *parte* amovebant, eo *juniorem* veriſimile eſt amoventium fuiſſe ſententiam. *Junioribus* ſcilicet *deceſſorum* ſuorum, quos credebant *errores*, ſemper corrigentibus. Prædictæ ergo ſententiæ eorum erant qui *Heſperidas* ita appellatas exiſtimabant, non modo quod in *Occidente* agerent, quæ pars erat *Orbis Heſperia*; ſed quod *Heſperi* filiæ haberentur. Poſtea alia recepta eſt ſententia, quæ non *Heſperi* filias illas fecerit, ſed *Atlantis*, quem *Heſperi fratrem* fecerant Poetæ. Itaque non deinceps in *freto Herculeo*, ſed prope *montem Atlantem*, *Heſperidas* quærendas exiſtimabant. Nempe in *Inſula Cerne*, cui nomen, ſi hunc *Periplum* audimus, *Hanno* ipſe primus impoſuit. Hoc ego nomen à *Cyrenes* nomine contracto manaſſe ſuſpicor. Et quidem ita ut *Cyrene* ipſa quoque olim fuerit appellata. Cur ita credam, facit [4] *Stephanus*, qui præter *Cyrenaicæ* Metropolin, & *Ibericam* illam, de qua ſupra dixi, *Cyrenen*, aliam quoque agnoſcit cognominem *Cyrenen* Μασσαλίας. Erant quidem ex adverſo *Maſſiliæ Gallicæ* inſulæ *Stœchades*, quarum nomina recenſet [5] *Plinius*. In his tamen nullam prorſus *Cyrenen*: nec eo nomine aliam *inſulam* in illa *Maſſilienſium* ora ullam legimus. Itaque pro Μασσαλίας, reponendum Μασσυλίας. Ut de *Libyæ* intelligatur *Maſſylis*. Hoc enim ipſo *Heſperidum* templo, monti *Atlanti* finitimo, & *Æthiopiæ Occidentali*, *Maſſylæ gentis ſacerdotem miniſtraſſe* teſtis eſt [6] *Virgilius*. Unde ergo, inquies, nomen *Cernes*? Ego illis gradibus fuiſſe ſuſpicor, ut in Κύρηνη contracta fuerit Κυρνή, tum deinde è *Cyrne Cernen* fecerint recentiores. Prioris ratio erat facillima, ſi ſedem *Heſperidum Gorgonumque* à *Cyrene Cyrenaica* in *Corſicam* tranſtulerint *juniores*. Nempe propter prædationes quas inter *Sardos* & *Gorgonas* Per-

1 *Pind.* Pyth. X. 2 *Herodot.* L. IV. 3 *Dionyſ.* Perieg. v. 563. 4 *Steph.* Κυρήν. 5 *Plin.* N. H. III. 5. fin. 6 *Virg.* Æn. IV. v. 481, 482, 483, 484.

ſeum

ſeum vult feciſſe *Palæphatus*. Erat enim *Corſica* in mari *Sardoo*, & *Sardiniæ* ipſi propinqua : & *Græcis* Κύρνος appellabatur, quæ *Latinis Corſica* audiebat. Quod ſi quis duriorem putet hanc tranſlationem, poterit etiam *Cyrene Ægypto* propinqua *Cyrne* quoque appellari. Nomen enim *Urbis* à *fonte* factum credunt [1] veteres. *Fontis* autem nomen Κυρήνην ſcribit [2] *Euſtathius*. Inde contractione ſatis analoga, pro regulis *Analogiæ* Grammaticis, Κυρνὼ concipit [3] *Callimachus*, *Grammaticus* ipſe, pariter ac *Poeta*, præſtantiſſimus. Poterat ergo & *Urbs* ipſa quæ à *fonte*, & *regio* quæ ab *Urbe*, nomen accepit, tam *Cyrene*, quam *Cyrne*, etiam appellari. Non me quidem fugit Κυρὼ reponere in *Callimacho* pleroſque, quos collegit in Editione *Callimachi* nitidiſſima præſtantiſſimus *Grævius* : ſuffragantibus etiam ad *Stephanum* Amico nupero *Berkelio* atque *Holſtenio*. Quod ſcilicet ita legerint tam *Stephanus* quam vetus *Callimachi* Scholiaſtes : & quod *Cyram* montem, è quo *fons* ille emanarit, vocet *Juſtinus*. Sed à *Cyra* πηγὴ Κυραία, vel Κυρήνη, vel *Dialecto* Cyrenes *Dorica*, Κυράνα potius eſſet appellanda; vel, ut *Herodotus* IV. 195, Κύραυις. Et quidem ita appellatam docet *Euſtathius*, quem, (ſuffragante *Analogia* Grammatica) tam *Scholiaſtæ*, quam *Stephano*, opponimus. Itaque nomen Κυρνῆς ab hac poſteriori *Etymologia* arceſſendum erit. Sic tamen, ut inde primum ad *Corſicam*, inde ad *Atlanticam Cernen* emanarit. *Inſulam* enim Κυρνεάτιν ὑπὲρ Τυρσηνίαν etiam apud *Lycophronem* obſervavit etiam [4] *Euſtathius*. Et quidem [5] recte. Eam autem de *Corſica* intelligunt *Lycophronis* Interpretes. Itaque jam olim, *Lycophronis* etiam, qui ſub II°. *Ptolemæo Philadelpho* vixit, ætate, *Corſicæ* Κύρνον primum in Κύρνην, tum deinde in Κέρνην migraverat. Ne quis hoc durum putet in *Cerne Atlantica*, quam à ſe *conditam*, novoque *nomine* donatam narrat noſter *Hanno* : certe poſt Κέρνην *Corſicæ*, quæ propius aberat à *Cyrenaica*. Quod vero ad *Gorgonum Cernen* attinet, alii *inſulam* illam fuiſſe credebant, alii negabant, ut nos, ubi ſupra, docet *Euſtathius*. Nempe quod λίμνην potius *Æthiopiæ* illam exiſtimarent. Et quidem λίμνην illam Αἰθιοπίας agnoſcit *Dionyſii* Paraphraſtes nuper editus [6] *Euſtratius*. Imo ſic *Dionyſium* ipſum interpretantur tam ipſe, quam etiam *Euſtathius*. Verba *Dionyſii* ita ſe habent : —— ἐν δὲ μυχοῖσι

Βόσκοντ' ἠπείροιο πανύστατοι Αἰθιοπῆες,
Αὐτῷ ἐπ' ὠκεανῷ, πυμάτης παρὰ τέμπεα Κέρνης.

Τέμπεα τὰ κοιλώματα θηρῶν interpretatur *Euſtratius*. *Euſtathius* ita : Τέμπεα Κέρνης εἰπὼν, καὶ λιμνάδα αὐτὴν παραδηλοῖ. Ἑλώδη γὰρ τὰ τέμπεα.

1 *Juſtin*. Hiſt. XIII. 7. 2 *Euſtath*. in *Dionyſ*. v. 213. 3 *Callimach*. Hymn. in *Apollin*. v. 88. 4 *Euſtath*. in *Dionyſ*. v. 218. 5 *Lycophr*. Caſſ. v. 1085. 6 Ad *Dionyſ*. v. 219.

ὡς καὶ τὰ Θετταλικὰ τέμπεα, ὁμοίως δὲ καὶ τὰ Μηδικά. Facile hic λίμνην & *ſtagnum* agnoſcimus à nobis [1] ſupra obſervata in *hortis Heſperidum Cyrenaicis*. Ne ſit proinde cur dubitemus quin ex illa *Cyrene* fabulæ de *Gorgonum Cerne* omnes emanarint; fuerintque adeo *prima* illa fabula, quæ ſcenam habebat *Cyrenaicam*, proinde recentiores. Et quidem duplicem hanc de *Cerne* ſententiam imitatur *Hanno*. *Inſulæ* quidem nomen *Cernes* à ſe impoſitum narrat, quæ fuerit [2] ἐν μυχῷ τινος κόλπου, propinqua *Æthiopiæ*. Plane ut *Dionyſius*. A *Cerne* tamen ſe in λίμνην veniſſe fingit, quæ *tres inſulas* complexa fuerit *Cerne* ipſa *majores*. Hæ quia numero reſpondebant, tam *Heſperidum*, quam etiam *Gorgonum*; proinde ibi potius *Cernen Gorgonum* ſedem ſtatuebant alii, *Hannone* ipſo utique *juniores*. Ea potiſſimum, ut videtur, ratione, quod *Gorgonum* in *Cerne* ſua nullam fecerit mentionem *Hanno*. Interim *Hannonem* ipſum fabula *Cyrenaica* juniorem fuiſſe veriſimillimum eſt, quam adeo imitatur. Imo juniorem fabula etiam *Palæphatea*, quæ *tres* etiam *Inſulas* pro *trium* Heſperidum Gorgonumque numero confinxerat.

§. 8. Qui *Cernen*, vel *Gorgonas*, in *Oriente* & Mari *Erythræo* ſtatuerint, *Hannone* juniores erant.

Erant denique alii, etiam *Hannone* juniores, qui & ſedem *Gorgonum* & *Cernen* in *Oriente* ſtatuerint; nempe in mari *Erythræo*, ex adverſo *Æthiopum Orientalium*. Hos ideo *Hannone* juniores exiſtimo, quod *anſas* etiam ipſi accepiſſe videantur ex *Hannone*. Nempe, cum nullas in *Cerne Gorgonas* memoraſſet *Hanno*; & *Gorillas*, quas vocat *Hanno*, *Gorgonibus* crederent ſimillimas: proinde *Gorillarum* illam *inſulam* ipſi *Gorgadum* appellabant, aliamque à *Cerne* fuiſſe cenſebant. Sic enim apud [3] *Plinium* & [4] *Solinum Xenophon Lampſacenus*, qui Auctorem ſententiæ ſuæ ipſum profitetur *Hannonem*. Ita tandem factum, ut, non modo à *Cerne*, verum etiam ab *Heſperidibus*, aliæ haberentur Inſulæ *Gorgonum*, ut voluit apud *Plinium Statius Seboſus*. Quod ſcilicet jam à plaga Orbis *Heſperia*, ſeu *Occidente*, ſedes *Gorgonum*, tanta illa ſententiarum indies novatarum diverſitate, tandem penitus removiſſent. Nam ad νότου κέρας, *Promuntorium* ſcilicet ita appellatum, *Gorillarum* Inſulam ſtatuit *Hanno*, unde *Orientalem* oram *Africæ* inchoandam arbitrabantur. Imo *ulterius* eam promovebant, qui (qualis apud *veteres* legebatur) ſecuti ſunt *Hannonem*. *Hannonem* enim à *Gadibus* ad finem *Arabiæ* navigationem prodidiſſe tradit [5] *Plinius*. Erant ergo qui etiam *Gorgonas* ἐν τοῖς Ἐρυθραίοις μέρεσι καὶ τοῖς Αἰθιοπικοῖς poſuerint, ut nos docet [6] *Pindari* Scholiaſtes. Sed meminerant juniores *Cyrenen* appellatam, & *Cyrnen*, & tan-

1 §. 5. 2 *Hann.* p. 3. 3 *Plin.* N. H. VI. 31. 4 *Solin.* c. 56. 5 *Plin.* N.H. II. 67. 6 Schol. *Pindar.* Pyth. X. v. 72.

dem

dem *Cernen*, Inſulam quam tenuerint *Gorgones*. Propterea *Cernen* etiam ad eaſdem *Orientis* plagas transferendam eſſe cenſuerint. Hos ſequebatur ipſe [1] *Plinius*: *Contra ſinum* (inquit) *Perſicum Cerne nominatur Inſula adverſa Æthiopiæ, cujus neque magnitudo, neque intervallum à continente conſtat.* Intellexit nimirum, Maris *Erythræi* partem illam, quæ ſinui *Perſico* prætenditur. Ita fortaſſis *Ephorum* interpretatus eſt, quem ait *Auctorem* fuiſſe, *à Rubro Mari navigantes in eam* [Cernen] *non poſſe propter ardores ultra quaſdam columnas* (*ita appellantur*, inquit, *parvæ Inſulæ*) *provehi.* Poſſunt tamen verba illa forſan intelligi de navigatione à *Rubro Mari* verſus *Occidentem.* Poſſunt enim *parvæ Inſulæ*, quas *columnas* appellat, de *columnis* intelligi *Herculeis.* Sequitur hanc ſententiam etiam [2] *Lycophron.* Sed *Gorgonum* ſedem an illam crediderit *Cernen*, illud ſane non conſtat. *Utrumque* autem neceſſarium erat, ſi *noſtrum* fuerit ſecutus *Hannonem.* Noſter enim, qualis apud *veteres* legebatur, *Cernen* ipſe poſuit in *Oriente*; *Gorgadum* autem ſedem prope *occidentales Æthiopas.* Quem *hodie* legimus, is quidem *Gorillas* in *Oriente* ponit; *Cernen* autem, quo loco Periplus *antiquior Gorgadas* collocaverat. *Cernes* ergo ſitum *illum* ex *antiquo Hannonis* Periplo diſcere potuit *Lycophron*, qui ſub *ſecundo* floruit *Ptolemæo.* *Juniores* autem ſunt, ni fallor, *noſtro* quoque *Periplo*, qui in *Maris Erythræi Cerne Gorgonas* ſtatuerint. Nullum certe *Veterum* legimus, cujus tempus *compertum* habemus, qui ita ſenſerit.

§. 9. Sic tamen erit *Hanno* multo, quam volebat Cl. *Voſſius*, recentior. Et falſi etiam evictus, quod *loca* memorarit plane *commentitia.*

Hæc autem, ſi vera fuerit, harum ſententiarum *Hiſtoria*; jam ſane conſtabit, non modo *Iliacis*, verum etiam *Olympiadibus*, *Hannonem* multo fuiſſe recentiorem. Ut enim ſententiarum de *Cerne Gorgonum* ſede ad montem *Atlantem* poſita *primus* Auctor fuerit; ita certe illis juniorem fuiſſe neceſſe eſt, qui varias de *Cyrene* eorundem patria ſententias primi excogitarint. Imo illis omnibus juniorem qui *Heſperidas* pro *Heſperi* filiabus habebant, quas primus ille filias fecerit *Atlantis.* Illis nempe omnibus juniorem, qui, ſeu *Heſperidas*, ſeu *Gorgonas*, loco aliquo *medio* ſtatuerint, in ora *Africæ* maritima, inter *Cyrenaicam* montemque *Atlantem.* Tot nempe intervallis juniorem *Heſiodo*, quem *primum* fabulæ de *Gorgonibus* Auctorem fuiſſe probavimus. Nec illud modo. Idem ille *Hanno* falſi vincetur. Ait enim ſe coloniæ à ſe conditæ [3] *Cernes* nomen impoſuiſſe. Atqui nulla fuit unquam ibi Inſula *Cerne* qua *Hanno* coloniam inſtituerit. Ita certe ſenſit Geographorum princeps *Strabo*, qui hoc nomine reprehendit doctiſſimum *Eratoſthenem.* Sic enim ille: [4] Πεπίστευκε δὲ καὶ [illegible] τῶν ἔξω

1 *Plin.* N. H. VI. 31. 2 *Lycophr.* Caſſ. v. 18. 3 *Peripl.* p. 3. 4 *Strab.* L. I. p. 47.

 στηλῶν

στηλῶν Ἡρακλείων πολλοῖς μυθώδεσι, Κέρνην τε νῆσον, καὶ ἄλλους τόπους ὀνομάζων τοὺς μηδαμοῦ νυνὶ δεικνυμένους. Nec ſolus erat in hac *Eratoſthenis* cenſura *Strabo*. Idem, ante *Strabonem*, in illo redarguit *Artemidorus*. Hoc docet idem [1] *Strabo*: Ἀρτεμίδωρος δὲ Ἐρατοσθένει μὲν ἀντιλέγει, διότι Λίζον (legendum ex *Hannone* Λίξον) τινὰ φησὶ πόλιν περὶ τὰ ἄκρα τῆς Μαυρουσίας τὰ ἑσπέρια, ἀντὶ Λιγγός. Imo Λιγγὸς, pro ſententia *Artemidori*, ut docet alibi ipſe [2] *Strabo*. *Tingin* enim illam fuiſſe credidit ipſe *Strabo*, & *Lixum* legit ibidem, ex mente *Eratoſthenis*. Et *Lixon vel fabuloſiſſime ab antiquis narratam* teſtatur *Plinius*, L. V. c. 1. Pergit, ubi ſupra, [3] *Strabo*: Φοινικικὰς δὲ πόλεις κατεσκαμμένας παμπόλλας τινάς, ὧν οὐδὲν ἐστιν ἰδεῖν ἴχνος. Plane gemina ſunt quæ de his ipſis *Hannonis* Urbibus habet [4] *Plinius*: *quem ſecuti plerique è Græcis noſtriſque, & alia quidem fabuloſa, & Urbes multas ab eo conditas ibi prodidere, quarum nec memoria ulla, nec veſtigium exſtat*. Non me quidem fugit harum fabularum patronos trecentas *Tyriorum* Urbes in his partibus tradidiſſe à *Phauruſiis* exciſas atque *Nigretibus*. Sed hunc ipſum prætextum *fabulis* accenſet ipſe [5] *Strabo*. Et ſane, ſi nulla harum Urbium ſuperfuerit vel *memoria*; quomodo, quæſo, poterat de earundem *clade* conſtare? Nec temere *Urbes* illas, quas *Libyphœnicibus* tribuit *Hanno*, *Strabo* ipſe *Tyriis* potius tribuendas eſſe cenſet. Litem enim de Urbibus illis motam eſſe à *Tyriis* & *Aradiis*, alibi teſtatur. [6] Φασί γε οἱ ἐν αὐταῖς οἰκοῦντες τὰς ὁμωνύμους τῶν Φοινίκων νήσους καὶ πόλεις ἀποίκους ἑαυτῶν. Fieri hoc, ſine ſumma audacia non potuit, ſi ipſe *Peripli* hujus fuiſſet *Auctor*, qui *colonias* illas *deduxiſſet*. Saltem autem *Cernen* ipſam falſi convincunt tot illæ tantæque Veterum de illius ſitu *diſcordiæ*. Convincunt etiam, quæ modo diximus, ſi quidem ſcopum attigerimus, quæ *Cernen* ipſam nullam uſpiam fuiſſe probant; ſed à *Cyrenes* nomine vitiatam: quæ tamen ipſa nulla unquam fuerit in illis *oris*, quibus *Cernen* aſſignabant juniores. Nequit enim certe *verus* ille fuiſſe *Periplus*, qui *Hannonem* narrat ad ea *loca* delatum, quæ *nulla* unquam in rerum natura fuerint.

§. 10. *Suſpectus* erat, etiam apud Veteres, *Hannonis* ille *Periplus*.

Laborabat ſane *Hannonis* Periplus hac infamia, etiam apud *Veteres*. Imo *Adagii* loco uſurpabatur, quoties de re ſermo eſſet admodum *incredibili*. Docet hoc certiſſimus Auctor *Athenæus*. Cum enim, apud illum, *Æmilianus* obſervaſſet *Jubam Mauritaniæ* Regem *Citrium* apud ſuos *Libyas* malum *Heſperium* nominari credidiſſe, quod inde *Hercules* in *Græciam* detulerit: ſic deinde reſpondentem *Democritum* introducit.

[7] Εἰ μέν τι τούτων Ἰόβας ἱστορεῖ·

1 *Strab.* L. XVII. p. 829. 2 *Strab.* ib. p. 825. 3 *Strab.* ib. p. 829. 4 *Plin.* N. H. V. 1. 5 *Strab.* L. XVII. p. 826. 6 *Strab.* L. XVI. p. 766. 7 *Athen.* Deipn. L. III. c. 5.

χαιρέτω

——χαιρέτω
Λιβυκοῖσι βίβλοις, ταῖσί τ' Ἄννωνος πλάναις.

Verba fuisse videntur antiquioris cujuspiam *Athenæo* Comici *Libycas* in universum *Historias*, imprimis autem hunc (de quo agimus) *Hannonis Periplum* à *fabulositate* traducentis. Certe ut *Libycos Libros* Comœdus ille, quicunque demum fuerit, ita ψεῦσμα Φοινικικὸν, usurpavit similiter pro Proverbio [1] *Strabo*. Similes in [2] *Platone* & *Laertio* locos, quibus hæc ipsa *mentiendi* indoles *Phœnicibus* objecta fuerit, observavit etiam *Casaubonus*. Inde Φοινικελίκτης, ἀπατηλὸς & κάπηλος *Hesychio*. Erant autem Λιβυφοίνικες quorum coloniis deducendis præfectum se profitetur *Hanno*. Et *portentosa Græciæ mendacia* de *Lixitis* & *amne Lixo* notat [3] *Plinius*. *Græcis* autem, magis quam *Pœnis*, nostrum debemus, *Pœnum* licet ipsum, *Hannonem*. A *Lixitis* autem *Hanno* Interpretes sumsit, & *amnem Lixum* prædicat. Ne dubitemus quin etiam illum censura illa perstrinxerit. Imo verbis, ut jam supra vidimus, disertis ab illo *fabulosa* multa ad *Græcos* emanasse profitetur. Idem *Atlantem fabulosissimum* appellat, & eo *nomine* fabulosissimum, quod *nemorosus interdiu silere* diceretur, *noctu* autem *crebris ignibus micare*. Hæc si quis cum *Hannone* contulerit, vix est cur dubitet quin illum ipsum *Plinius* ob oculos habuerit. Idem indicavit *Comœdus Athenæi*, cum hanc navigationem *Hannonis* πλάνας appellaret. Ipsam enim illam *vocem* usurpavit sæpe *Strabo* de *Ulyssis*, *Menelai*, *Jasonisque*, similibusque aliis temporis *Mythici* Poeticis *Heroum* maritimis expeditionibus. Eodemque plane modo *errare* dicit *Heroes* suos etiam *Virgilius*. Nec enim certe deerat *Hannoni* certum navigationis *consilium*, nec *ventis* infestis vim aliquam passum se fuisse queritur, quo minus portus optatos assequeretur. Πλάνη ergo non alio sensu haberi potuit hæc *Hannonis* navigatio, quam quod fuerit, pro *Heroicarum* navigationum exemplo, plane *fictitia*. Scribit in eandem sententiam, ne quidem ipso *Vossio* diffitente, [4] *Aristides*; qui pro *absurdis* habet quæ de suis ultra *Gades* coloniis prodiderant *Carthaginienses*. Non quidem *nomine* designavit ipsum, fateor, *Hannonem*. Illum tamen designavit qui in *Africæ* solitudine *Urbes* condiderit, qui in *Templo* navigationis suæ narrationem *suspenderit*. Hæc se fecisse narrat *hujus* Peripli Auctor. Aliusne fuerit *Carthaginiensium*, qui se ita fecisse vel obtenderit, plane ignoramus. Idem fortasse voluit [5] *Lucianus*, cum *commentitiam* suam expeditionem à *columnis* exorditur *Herculeis*. Nihil enim se in *vera*, quam appellat, *Historia* scripsisse professus est, quo veterum *Poetarum*, *Scriptorumve*, aut *Philosophorum* aliquem

1 *Strab.* L. III. p. 170. 2 *Plat.* Reip. L. IV. 3 *Plin.* N. H. V. 1. 4 *Aristid.* Ægyptiac. 5 *Lucian.* ver. Hist. L. I. init.

non

non perſtrinxerit, qui *portentoſa* aliqua aut *fabuloſa* literis mandaviſſent. Innuit ergo, ut videtur, *fabulatoribus* ſolenne fuiſſe, ut *fabularum* ſcenam *Libyam* facerent, & *commentitios Periplos* à *columnis* exordirentur *Herculeis*: quod noſter (quicunque demum is fuerit) fecit *Hanno*. Et fidem *Hannonis* ſuſpectam fuiſſe docuerat jam antea [1] *Mela*: cum *propterea fidem* illi *habitam* de *hirſutis mulieribus Gorillis* fuiſſe refert, quod duarum *coria* domum retulerit, & in *Junonis* templo *ſuſpenderit*. Alioqui futurum indicans, ne *fidem* prorſus ullam inveniret. Nec ſane legimus in Hiſtoria *Carthaginienſium* ullas harum *coloniarum* ad Urbem *Metropoliticam legationes*, aut aliud aliquod cujuſcunque generis *commercium*. Quod ſi ætate *Plinii* nulla fuerit harum coloniarum, ſeu *memoria*, ſeu *veſtigium*; diu antea perierint neceſſe eſt, quæ jam ita perierant ut ne quidem *memoria* earum ſuperfuerit. Vidit ergo Vir ſagaciſſimus quam eſſet neceſſaria hujus Peripli *Antiquitas*, ſi vellet illum à *falſi* ſuſpicione tueri. Ita enim fieret ut *condi* poſſent illæ ab *Hannone* coloniæ, & tamen multis ante *Plinium* Seculis *intercidere*. Quod tamen ægre potuit evenire, ſi vero illo, quod mox oſtendemus, *Hannonis* Seculo hæc fuiſſet expeditio. Manet interim illa *ſuſpicio*, niſi *magnum* aliquod inter *Hannonem Pliniumque* interceſſerit temporis *intervallum*. Videamus ergo num ſolido alio ullo Argumento tantam hujus Peripli *antiquitatem* aſtruere poſſit Vir, ſiquis alius, memoriæ apud poſteros celeberrimæ.

§. 11. Nullum *Hannonis* veſtigium in *fluvio* Gorgonum *Palæphateo*.

Addit Vir doctiſſimus, in fabula de *Gorgonibus* veſtigium ſe hujus navigationis deprehendiſſe: [2] *ipſum Pœni ducis nomen, ſed fluvio attributum. Annonem* (inquit) *vocant Palæphatus aliique Mythologi fluvium Gorgonum Inſulæ vicinum*. Hoc ſi fuiſſet verum, mirum eſſet profecto nullam hujus *fluvii* mentionem ab ipſo eſſe factam *Hannone*. Mirum eſſet præterea ſi *junior* aliquis *Hannone* dux *Hannonis* potius quam ſuum nomen *fluvio* impoſuiſſet. Mirum denique, & à *Periplorum* veterum exemplis prorſus alienum, ſi novarum orarum explorator, non *Urbibus* tantummodo, aut conditis à ſe *coloniis*, *promuntoriiſque maritimis*; ſed *fluviis* etiam nova *nomina* aſſignaſſet. Poterant illi fortaſſe ſuo quodam uti jure in *poſſeſſis* à ſe terris, aut ſaltem illis quas incolæ *Barbari* non occupaviſſent. Sed *fluvii* nulli poterant toti occupari; nulli poterant *incolis* ignoti eſſe, nec adeo nominibus carere *inquilinis*, quibus in uſu quotidiano deſignarentur. Atqui nihil plane facit ad uſum Viri eruditiſſimi *fluvius* ille *Palæphateus*. Nec enim Ἄννωνα illum, ſed Ἀννῶνα, appellat *Palæphatus*. Utque nomen fluvii, pro mente

1 *Mel.* L. III. c. 9. 2 *Voſſ.* ad *Mel.* L. III. c. 9. n. 23.

Viri

Viri celeberrimi concepiſſet *Palæphatus*; nihil tamen feciſſet ad illam, quam agebat, cauſam. Longe enim à *Cerne Hannonia* diſtabat, ut oſtendimus, *Cyrene* illa, quam in freti *Gaditani* faucibus ſtatuit *Palæphatus*. Longiuſque adhuc à *Gorillis*, quas potius *Gorgones* exiſtimavit Magnus *Voſſius*. Erat præterea Αὐίων ille κατὰ Καρχηδόνα, pro ſententia *Palæphati*. Non potuit *Urbem* ipſam hoc in loco intelligere, ſed *ditionem* tantummodo *Carthaginienſium*. Potuit illa fortaſſis ad *columnas Herculeas* pertigiſſe, *rebus Punicis florentiſſimis*, quo tempore hanc expeditionem teſtatur ſuſceptam fuiſſe [1] *Plinius*. Imo ita rem fuiſſe docet *Polybius*. Et habet non longe *Scylax* fluvii nomen *Adonidis*. Origine quidem & ipſum *Syra*. Sed quod nihil quicquam affine habeat cum nomine *Hannonis*. Statuitque hoc in loco *Ptolemæus* non incommodo nomine *fluvium* Οὐάλωνα, qui facile poſſit in Αὐίωνα depravari. Vix puto quenquam fuiſſe Veterum qui *Carthaginienſium florentiſſimorum* imperium ad utrumvis *Atlantem*, majorem minoremve, extenderit; aut qui ad *Cernen*, cognominem ducis, ut volebat *Voſſius*, *Pœni fluvium* collocarit. Et tamen in illis quoque partibus ſi quærendus ille fuiſſet *fluvius*; medio inter *Atlantes* ſpatio fluvios duos nominibus non admodum diſſimiiibus habet *Ptolemæus*. Horum unus Οὐία, alius Αγνα, appellatur. Utrumvis facile erat ut in Αὐίωνα, Librariorum errore proclivi, perverteretur: ſic nullum erit, in hoc *fluvio*, vel veſtigium *Hannonis Voſſiani*.

§. 12. Locum prope *Cernen Hannonis* nullum habere potuit *Auno Palæphateus*.

Poterat autem fortaſſis, ex iis quæ de *Cerne* Inſula tradit *Hanno*, naſci occaſio, cur *aratam à Gorgonibus Libyam* κατὰ Καρχηδόνα tradiderit *Palæphatus*. Ait enim *Cernen* ſuam *Hanno* κατ' εὐθὺ κεῖσθαι Καρχηδόνος. Ita quidem, ſi *junior* fuerit *Hannone Palæphatus*. Utcunque tamen ita videtur *Hannonem* intellexiſſe *Cornelius Nepos*, cujus ætas exploratior eſt. Hoc diſcimus è [2] *Plinio*, quo loco agit de ſitu *Cernes* Hanoniæ. *Nepos* (inquit) *Cornelius ex adverſo maxime Carthaginis à continente paſſus mille: non ampliorem circuitu duobus millibus*. Verba ſcilicet *Hannonis* κατ' εὐθὺ, *ex adverſo*, interpretatus eſt *Cornelius Nepos*, atque ita intellexit, quaſi *prope Carthaginem* ipſam fuiſſet *Cerne* illa *Gorgonum*. Sic fluvius Αὐίων in *Carthaginis* ipſius *vicinia* fuiſſet ſtatuendus. Sed nullam legimus ibi *Inſulam* præter *Cothonem*, quæ civitatis ipſius *pars* erat; nec *fluvium* præter *Carthadam*, à quo *Civitas* ipſa nomen videtur accepiſſe, nomine ab *Hannonis* nomine ſatis alieno. Sed *falſo* hæc *ratiocinio* ex *Hannone* videtur collegiſſe *Cornelius Nepos*. Id enim potius voluiſſe videtur *Hanno*, recta *meridiem* verſus *Carthagini* ſubjectam

1 *Plin.* N.H. V. 1. 2 *Plin.* N.H. VI. 31.

fuiſſe *Cernen*; ut, quantocunque ſpatio invicem diſſitæ fuerint, ſub eadem tamen ſitæ fuerint linea *meridionali*. Jam enim vidimus pro *Africæ univerſæ* Periplo haberi illam *Hannonis* navigationem: quaſi ſcilicet ad mare *Erythræum*, & *Africæ* plagam *Orientalem* uſque pertigiſſet. Primo ergo à *columnis* Herculeis, *bidui* navigatione peracta, primam condunt coloniam, *Thymiaterion*. Inde πρὸς ἑσπέραν provecti *Soluntem* promuntorium veniunt. Nempe *occidentalem* quidem oram legentes, ſed *meridiem* verſus. Alioqui prior quoque navigatio *Occidentem* petebat. Id enim volebat, emenſo freto, non oram *Hiſpaniæ*, quæ *Septentrionem* ſpectabat, ab iis petitam, ſed *Africæ*. A *Solunte* deinde *Orientem* verſus navigatio eſt, uſque ad *Troglodytas*. Inde rurſus ad meridiem alio *biduo*. Poſtea iterum πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα ad *Cernen* uſque. Addit deinde: ἐτεκμαιρόμεθα δ' αὐτὴν, *Cernen* ſcilicet, ἐκ τοῦ περίπλου, κατ' εὐθὺ κεῖσθαι Καρχηδόνος. Rationem conjecturæ ſubjungit illam: Ἐῴκει γὰρ ὁ πλοῦς, ἔκ τε Καρχηδόνος ἐπὶ στήλας, κἀκεῖθεν ἐπὶ Κέρνην. Videmus hic navigationem *poſteriorem*, quæ *Orientem* ſpectabat, cum *priori* conferri quæ à *Carthagine* ad finem *freti* ducebat *Gaditani*, quæ tota fuerat verſus *Occidentem*. Nempe ut oſtenderet ad eundem tandem illos rediiſſe circulum *meridianum* unde diſceſſerant. Conſtaret hoc apertius, ſi dierum numerum ſemper adjeciſſet *hodiernus Hanno*, quod fecerat ille qui Veterum manibus terebatur, ut infra ex *Ariano* oſtendemus §. 24. Hoc autem in loco nullus eſſe potuit *Carthaginienſium* fluvius qui à *Septentrione meridiem* verſus in *mare* defluxerit. *Bagradas* contra è *meridie Septentrionem* verſus tendebat in mare tandem effuſus *Mediterraneum*. Sed nec ullam ibi regionem *aratro* aptam memorat ipſe *Hanno*. Locum ergo nullum habere potuit *Auno Palæphateus* prope *Cernen Hannoniam*. Sequebatur deinde navigatio *meridionalis* per dies XII. ad *montes Sylveſtres*. Inde VII. dierum ad *Heſperion ceras*, unde mare *Atlanticum* cenſet [1] *Plinius*. Vel hinc obiter intelligimus, verum eſſe non poſſe, quod cenſuit magnus *Voſſius*, Θεῶν ὄχημα montem, qui appellatur *Hannoni*, eundem eſſe cum *Sierra Liona*. Nec enim diſtat mons ille hodiernus tot *dierum* navigatione verſus *Orientem* ab ora *Africæ Occidentali*. Et tamen ultra *Heſperion ceras quatridui* navigatione Θεῶν ὄχημα ponit *Hanno*. Inde *triduum* aliud recenſetur ad νότου κέρας, quo loco ſtatuitur Inſula *Gorillarum*, ultimus hujus Peripli terminus, quem in *Oriente* & Mari *Erythræo* ſtatuebant, ut vidimus, multi è Veteribus. Sed ne quidem *Africæ* figuræ reſpondet hæc *Hannonis* navigatio, quæ vel inde falſitatis manifeſtæ convincitur.

1 *Plin.* N. H. VI. 31.

Sed

§ 13. Nihil faciunt *Phœnicum* coloniæ extra columnas *Herculeas* à *Strabone* memoratæ ad *Hannonem*.

Sed & aliud quoque habet Vir Magnus argumentum, quo hujus Peripli *Antiquitatem* ostendat. Ex illis nempe [1] *Strabonis* verbis. Θρυλλεῖται δὲ ἡ Φοινίκων ναυτιλία· οἱ δὲ τὰ ἔξω τῶν Ἡρακλείων στηλῶν ἐπῆλθον, δὲ πόλεις ἔκτισαν κἀκεῖ, καὶ περὶ τὰ μέσα τῆς Λιβύης παραλίας μικρὸν τῶν Τρωϊκῶν ὕστερον. *Stultum*, [2] ait, *fuerit existimare Phœnices alios ante Hannonem has oras accessisse, ac ibi urbes condidisse, cum ex ipso Hannone contrarium constet*. Atqui nullam habemus in his Geographi verbis vel *Carthaginiensium* mentionem, nedum *Hannonis*. Imo de *antiquissimis Phœnicum* has in partes navigationibus agere hoc in loco *Strabonem*, vel ex ipso ejus consilio colligimus refutandi *Eratosthenis*. Nihil ergo ille de temporibus *Carthaginiensium florentissimis*, quibus *Hannonis* expeditionem statuit *Plinius*. Dixerat Vir ille Seculi sui doctissimus Veterum neminem *Euxinum* mare navigare ausum, aut juxta *Libyam*, aut *Syriam*, aut *Ciliciam*. Hinc obiter intelligimus, ut de *Hannonis* Periplo resciverit *Eratosthenes*, qui hanc ipsam *Libyæ* oram se legisse narrat; non tamen illum adeo *antiquum* censuisse quàm volebat præstantissimus *Vossius*, sed potius illum navigatoribus annumerasse quos παλαιοῖς opponebat. Huic ergo *Eratosthenis* assertioni ut occurreret *Strabo*, *antiquissimi* quique Periplorum duces erant in contrarium nominandi. *Perseo* ergo coævos *nullos* novit *Strabo* harum partium navigatores. Et ne quidem editum *Hannonis* Periplum, qui his fuerit *Trojano* vel excidio *proximis* temporibus assignandus. Si enim adeo *antiquum* censuisset, cur non illum potius *Periplum* advocasset, quam θρυλλ. *rumorem* scilicet, incertamque *famam*? Sed *stultum*, ait Vir Cl. *si quis existimarit*, *Phœnices alios ante Hannonem has oras accessisse ac ibi urbes condidisse*, *cum ex Hannone contrarium constet*. Atqui nusquam negat *Hanno*, quenquam ante se fuisse, qui has *oras* attigerit, aut qui *Urbes* ibi condiderit. Imo contrarium potius supponit. Decretum enim Senatus sui *Carthaginiensis* refert, ut Urbes *Libyphœnicum* conderet. Supponit ergo in illis ipsis oris *Urbes* alias *Phœnicum*, licet nullæ fuerint *Libyphœnicum*. Plures certe fuisse, in illa quoque, quæ extra *columnas Herculeas* fuit, ora *Libyæ*, Urbes, quam quas ipse condiderit *Hanno*, supponit Traditio è *Strabone* superius observata, de *trecentis Phœnicum*, non solorum *Libyphœnicum*, Urbibus, quas exciderint *Phaurusii* & *Nigretes*. Imo ipsas illas *Urbes* à *Tyriis* sibi vendicatas jam supra ex eodem *Strabone* vidimus, quorum proinde fidem *Hannoni* opposuimus. Nec enim adeo *stultum* est si *Hannoni* fidem derogemus, quem veteribus suspectum fuisse ne quidem *Vossius* ipse diffitetur. Sed non erant soli

[1] *Strab.* L. I. p 48. [2] *Voss.* ad *Mel.* L III. c. 9. l. 23.

Car-

Carthaginienſes, qui extra *columnas Herculeas* navigarint. Idem feciſſe *Phœnices Gaditanos* teſtem habemus, ſi minus ipſum *Ariſtotelem*, certe *Ariſtotelis* ætate non multo inferiorem, [1] περὶ Θαυμασίων Ἀκουσμάτων. Hos enim docet ab illa ipſa ora merces *Carthaginienſibus* ipſis incognitas *Carthaginem* deportaſſe. Sed *Gaditanorum* ipſorum originem deſcribit, ni fallor, hoc in loco *Strabo*, quam Urbe *Carthaginienſi* antiquiorem ſupponit, & navigationes eorundem extra *columnas Herculeas Carthaginienſium* extra eaſdem *columnas* navigationibus etiam antiquiores. *Præponit* certe *Strabo Phœnicum* navigationes extra columnas *Herculeas* aliis eorundem navigationibus ad partes oræ *Libyæ* maritimæ *medias*. Et quidem ita præponit ut etiam *opponat*. Erant ergo illæ *Phœnicum* navigationes extra columnas *Herculeas* aliæ prorſus, & *priores* illis, quas poſtea memorat ad partes oræ *Africanæ* maritimæ *medias*. Nec ullas *adhuc* fuiſſe veriſimile eſt à *poſterioribus* extra fretum *Gaditanum* colonias. Facile inde colligimus, partes oræ maritimæ *medias* de *Libyæ* latere intelligi *mediterraneo*, non autem de eo quod extra *columnas* ponebatur *Herculeas*. Quis inde non videt *Strabonis* verba poſteriora de ipſa Urbis *Carthaginienſis* fundatione eſſe intelligenda, quæ *medium* tenebat oræ *Libyæ mediterraneæ*? Convenit certe tempus, pro hypotheſibus *Virgilii*, eorumque qui coævum *Didoni* Urbis fundatrici fecerint *Æneam* ab *Ilii* clade fugientem. Priora autem de alia *Tyriorum* navigatione, ni fallor, intelligenda ſunt, qua *Herculis columnas* ipſas ab *Oraculo* quærere jubebantur. Ter enim id feciſſe narrantur, & ſemel illas *extra* fretum in *Oceano* ipſo quæſiviſſe. Sic enim alibi ipſe [2] *Strabo*, cujus etiam teſtimonium jam adduximus, de *Tyriis* illas (quæ *Phœnicum* ferebantur) colonias ſibi vendicantibus. Idem tamen has omnes navigationes [3] ψεύσμασι Φοινικικοῖς accenſet. Videmus ergo quam infirmo tibicine nitatur univerſa illa Viri Magni argumentatio, fide nempe *Punica* admodum ſubleſta. Ut autem ad verba *Strabonis* poſteriora redeamus, longe aberat ut tempora illa *Didonis* haberentur *Carthaginienſium florentiſſima*. Et quæ ægre ſe adverſus finitimos tuebatur Regina, nondum certe par eſſe potuit emittendis in Oceanum *coloniis*; nondum *tres* hominum *myriades* emittere potuit, quot tamen ſe duxiſſe teſtatur *Hanno*. Recte ergo *Phœnicum* fuerint, non *Libyphœnicum*, coloniæ hoc in loco à *Strabone* memoratæ. Potuit autem fortaſſis *Hannoni* fidem habere *Eratoſthenes*, qui *Cernen* pro *vera* habuit Inſula, cui nomen ab *Hannone* ipſo impoſitum narrat *Periplus*. Sic tamen, ut dixi, non potuit illum annumerare *priſcis* ipſe *Eratoſthenes*. Sed qua demum fronte *Hannonem Eratoſtheni* objicere potuit *Strabo*, qui hoc ipſo nomine *Erato-*

1 P. 1165. Ed. *Par.* 1629. Tom. I. 2 *Strab.* L. III. p. 169. 170. 3 *Ib.* p. 170.

ſthenem

ſthenem ipſum reprehendit, quod memoratam ab *Hannone* Inſulam *Cernen* ille *veram* fuiſſe credidiſſet? Qui hoc quoque eidem vitio dedit, quod Scriptorem ſuſpectæ fidei *Damaſtem* vel memoria dignum cenſuiſſet? Cavet proinde, dedita, ut videtur, opera, *Strabo* ab omni *Hannonis* mentione, ne ipſe eodem crimine teneretur, quod in *Eratoſthene* reprehenderat. Sed has ipſas quoque *Phœnicum* navigationes quas objiciendas cenſuit, ipſe quoque *Strabo* dubiæ fidei fuiſſe innuit, dum hoc ipſo loco, quem adduxit Cl. *Voſſius*, ita habet: εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λεγομένοις· dum etiam fidem *Punicam*, in hac cauſa, ſuſpectam facit.

§. 14. *Didone* antiquiorem *Carthaginem* fuiſſe, non eſt veriſimile.

Tempus hujus *Peripli* deſignavit *Plinius* verbis ſatis manifeſtis. Alibi [1] *Carthaginis potentia florente* fuiſſe inquit: alibi [2] *Punicis rebus florentiſſimis*. Et *Carthaginienſium* fuiſſe, ſi quis unquam fuerit, hic ipſe docet *Periplus*. Videt ergo Vir Magnus, quam hæc cum ſuis pugnarent hypotheſibus, ſi de condita à *Didone Carthagine* intelligerentur. Itaque [3] *Appianum* potius audiendum arbitratur, qui primam Urbis fundationem *Trojæ* excidio annis L *antiquiorem* exiſtimavit. Sed ne quidem illa quoque ſufficiet *origo*, ut *Perſei Gorgonumque* tempora *Hanno* attigerit. Auctor, ni fallor, *Appiano* erat, ita cur ſentiret, *Philiſtus Syracuſanus*, *Dionyſio* ſeniori coævus, pro cujus ſententia *Euſebius Carthaginis* ortum ad numerum ſuum retulit DCCCIV^m^. *Trojæ* autem *excidium* ipſe refert ad numerum DCCCXXXV. Ita ſpatium annorum duntaxat XXXI interceſſerit. Hunc ergo ſi habuerit ſententiæ ſuæ patronum *Appianus*; ſic erit cur merito dubitemus, rectene ille ſententiam Auctoris ſui repræſentarit. Atqui *Xoro* originem illam tribuit tam *Appianus* ipſe, quam (è *Philiſti* ſui ſententia) *Euſebius*; cui ſocium adjungit *Euſebius Carchedonem*. *Xorus* iſte vix eſt cur dubitemus quin fuerit *Tyrius*. Et plane ſimilis eſt collega *Carchedon*. Fabulatorum illa produnt ingenium, qui antiquiſſimas origines ſæpiſſime arceſſunt ex *Urbium nominibus* in *Virorum nomina* transformatis. Si quid ergo ſani habeant, ad *altiores* ipſa *Urbe* origines, in *Tyro*, ni fallor, & *Phœnicia* referenda ſunt: ea ſaltem quæ de *Xoro* fabulantur. Nec longe abeunt *Phœnicum* rationes, mox [4] à nobis è *Phœnicum* Annalibus explicandæ. Annus ibi *Solomonis* IV^us^ aſſignabitur anno *Periodi Julianæ* 3703. Hoc anno *Tyrum* ipſam antiquiorem annis 240 ex iiſdem Annalium *Tyriorum* rationibus facit [5] *Joſephus*. Sic anno *Period. Jul.* 3463, *Tyri* ipſius jacta fuerint fundamenta. Detrahantur hi ex anno *Per. Jul.* 3938, quo prima cœpit *Olympias*: reliqui erunt anni

1 *Plin.* N. H. II. 67. 2 *Plin.* N.H. V. 1. 3 *Appian.* Punic. I. init. 4 §. 15.
5 *Joſeph.* Ant. VIII. 2.

475. Sed vero, anno ante *Olympiadas* 407°, *Trojanum Excidium* statuitur à Chronologis *veterum* accuratissimis. His iterum deductis, annis tantummodo 68 *Tyrus* cladem *Iliacam* præcesserit. Estque discrepantia, in tanta tamque discordi Antiquitate, non magni facienda. Docuitque *Strabo Tyriorum* colonias sibi vendicasse *Libyphœnicas*. Cæterum quod ad veras *Urbis Carthaginiensis* origines, *Siculis* anteferendi erunt ipsi *Carthaginienses*. Imo post *Carthaginienses* audiendi erunt *Romani*, qui, excisa *Carthagine*, *Archiva* illorum omnia atque monumenta in suam potestatem redegerunt. Hos autem utrosque *Carthaginis* exordium ad *Didonem* retulisse idem agnoscit *Appianus*. Sunt quidem *Veterum* variæ admodum, diversæque invicem, de hac causa sententiæ. His enim temporibus, cum nulla adhuc essent Historica *monumenta*; proinde necesse erat ut vacillaret *Historiæ* fides, nec consentirent invicem *Juniorum* seu *Traditiones*, seu *Ratiocinia*. Nemo tamen *Didonem* antiquiorem esse censuit quam fecerit *Virgilius*, qui coævam fecit *Æneæ* Facile autem hoc Poetæ condonari poterit, si ab Historiæ Chronologiæque rationibus deflexerit, in tanta præsertim *antiquitate* dissentientibus invicem monumentis, ut ne quidem accurata polliceri possit quantumvis peritus Historicus atque Chronologus. Cæterum hic quoque magis audiendi, præ *Siculis*, videntur esse *Romani*, qui è *Carthaginiensium* (siqua fuerint horum temporum) *Archivis Carthaginem* fecerint non multo *Olympiadibus* antiquiorem, ipsaque Urbe *Romana*.

§. 15. Committitur cum Chronologia *Sacra* Chronologia Regum *Tyriorum*.

Eo certe magis audiendi, quod non longe ab illis discedant *Archiva Carthaginiensium* Metropolitica *Tyriorum* à *Menandro* quodam olim collecta, seu *Ephesio*, seu *Pergameno*, utroque enim modo à Veteribus designatur. Hæc annum ipsum conservarunt, quo *fugerit* è patria *Dido*, VII^m viz. fratris *Pygmalionis*. Sed hunc annum, quis demum fuerit in Epocha aliqua *fixa*, nondum explorarunt Chronologi. Tentemus ergo, qua licet, in Antiquitate aliunde tam incerta. Erit autem nobis pro norma Chronologia Sacra Regum *Israeliticorum*, qua illam noster constituit M. [1] *Usserius*. Illius enim calculum accuratissimum existimamus. Et cum illa Chronologiam *Tyriam* composuit *Josephus*: ex eodem (ut videtur) *Menandro*, iisdemque fortassis *Archivis*. Sacram autem Chronologiam cum accuratissimo Astronomorum *Canone*, atque Æra ejus *Nabonassarea*, qua licet, conferemus. Nihil enim exstat hodie pro antiquis illis temporibus accuratius. Jam autem alibi [2] ostendimus *Ezekiæ* Regis annum XIV^m eundem fuisse cum *Mardocempadi* X°, & *Nabonassari* proinde 36; *Olympiade* autem XVII. Hic idem erat

1 *Usser*. Chron. Sacr. Part. post. 2 Diss. 3. de Cycl. *Græc*. & *Rom*. §. 4.

Periodi

Periodi Julianæ 4002. Summam autem annorum 36 conficiunt anni prædicti *Ezekiæ* XIV, *Achazi* XVI, *Jothami* VI, Sic inivisset Epocha *Nabonassari* anno *Periodi Julianæ* 3966, *Olymp*. VIII, *Jothami* X°. si quidem pares fuissent cum *Julianis* anni *Nabonassarei*. Hîc autem ita numeramus ac si fuissent revera *pares*. Detrahantur ergo rursus, pro VII Olympiadibus anni XXVIII. nempe X *Jothami*, & ex *Uzziæ* Patris Regno XVIII. & anno *Uzziæ* XXXIV° prima inibit *Olympias*, anno scilicet *Periodi Julianæ* 3938. Nec ulla est in his Regum annis discrepantia. Ita hujus Epochæ, qua includenda erit fuga *Didonis*, limitem *citimum* tenebimus. *Initium* ita indagamus. Primus est in hac διαδοχῇ *Hiromus*, cujus annum XII^m^ cum IV° *Solomonis* componit *Josephus*, quo *Templi* fundamenta jecit *Solomon*. Et quidem horum Regum annos ita invicem fuisse committendos, ex ipso didicit, ut videtur, *Menandro*, quem ait ad Reges *Tyrios* gesta quoque gentium *aliarum*, tam *Græcarum*, quam *Barbararum*, exegisse: quæ certe methodus, si cum judicio observata fuerit, ad fidem ejus commendandam admodum faciat. Rectius autem in Libris adversus [1] *Apionem*, annum *Hiromi* XII^m^ *Templi* exordio assignavit, quam in [2] *Antiquitatibus* XI^m^ Discimus hoc ex aliis numeris, annorum CXLIII à *Templi* fundatione, CLIII autem ab initio *Hiromi*, in quibus magnus est *consensus* eorum omnium, qui *Tyriorum* Regum successionem è *Menandro* descripserunt, tam sibi ipsis, quam inter se invicem. Itaque non est cur de harum *summarum* sinceritate dubitetur; magisque ad *ipsas* summæ *particulares*, in quibus tantus consensus non est, exigendæ erunt, quam vicissim. Invaluit tamen posterior illa methodus apud Chronologos nostri ævi præstantissimos. Et sane lacunam manifestam mox probabimus annorum quibus regnaverint *Nutricis* filii *juniores*. Proinde augendæ erunt summæ particulares, non autem *breviandæ*. Sic ergo ab initio *Hiromi Tyriorum* Regum anni disponendi, & cum Chronologia *Sacra* committendi.

1 *Joseph*. cont. *Apion*. L. I. p. 1043. 2 *Antiq*. VIII. 2.

Davidis.		*Hiromi.*		*Period. Jul.*	*Davidis.*		*Hiromi*		*Period. Julian.*
33		1		3692	36		4		3695
34		2		3693	37		5		3696
35		3		3694	38		6		3697

Davidis.		*Hiromi.*		*Period. Julian.*	*Solomonis.*		*Hiromi.*	*Epoch. Tyr.*	*Period. Julian.*
39		7		3698	24		32		3723
40		8		3699	25		33		3724
Solomonis.					26		34		3725
1		9		3700			Baleazari,		
2		10		3701	27		1	35	3726
3		11		3702	28		2	36	3727
4		12		3703	29		3	37	3728
5		13		3704	30		4	38	3729
6		14		3705	31		5	39	3730
7		15		3706	32		6	40	3731
8		16		3707	33		7	41	3732
9		17		3708			Asdastarti.		
10		18		3709	34		1	42	3733
11		19		3710	35		2	43	3734
12		20		3711	36		3	44	3735
13		21		3712	37		4	45	3736
14		22		3713	38		5	46	3737
15		23		3714	39		6	47	3738
16		24		3715	40		7	48	3739
17		25		3716	Roboami.	Jerobeami.			
18		26		3717	1	1	8	49	3740
19		27		3718	2	2	9	50	3741
20		28		3719			Nutricis fil. maj.		
21		29		3720	3	3	1	51	3742
22		30		3721	4	4	2	52	3743
23		31		3722	5	5	3	53	3744

Roboami	Jerobo-ami.	Nutricis fil. maj.	Epoch. Tyr.	Period. Julian.	Asæ.	Baasæ.	Nutricis fil. 3. jun.	Epoch. Tyr.	Period. Julian.
6	6	4	54	3745	7	5	13	75	3766
7	7	5	55	3746	8	6	14	76	3767
8	8	6	56	3747	9	7	15	77	3768
9	9	7	57	3748	10	8	16	78	3769
10	10	8	58	3749	11	9	17	79	3770
11	11	9	59	3750	12	10	18	80	3771
12	12	10	60	3751			Astarti		
13	13	11	61	3752	13	11	1	81	3772
14	14	12	62	3753	14	12	2	82	3773
		Nutr. fil. 3. jun.			15	13	3	83	3774
15	15	1	63	3754	16	14	4	84	3775
16	16		64	3755	17	15	5	85	3776
17	17	3	65	3756	18	16	6	86	3777
Abiæ.					19	17	7	87	3778
1	18	4	66	3757	20	18	8	88	3779
2	19	5	67	3758	21	19	9	89	3780
3	20	6	68	3759	22	20	10	90	3781
Asæ.					23	21	11	91	3782
1	21	7	69	3760	24	22	12	92	3783
2	22	8	70	3761			Athery-mi.		
	Baasæ.				25	23	1	93	3784
3	1	9	71	3762	26	24	2	94	3785
4	2	10	72	3763		Zimri, tum Omri			
5	3	11	73	3764	27	1	3	95	3786
6	4	12	74	3765	28	2	4	96	3787

Asa.	*Zimri, tum Omri.*	*Atherymi.*	*Epoch. Tyr.*	*Period Julian.*	*Josaphati.*	*Ahabi.*	*Ithobali.*	*Epoch. Tyr.*	*Period. Julian.*
29	3	5	97	3788	10	14	18	119 m. 8	3810
30	4	6	98	3789	11	15	19	120 m. 8	3811
31	5	7	99	3790	12	16	20	121 m. 8	3812
32	6	8	100	3791	13	17	21	122 m. 8	3813
33	7	9	101	3792	14	18	22	123 m. 8	3814
		Phellis.	101 m. 8		15	19	23	124 m. 8	3815
		Ithobali.			16	20	24	125 m. 8	3816
34	8	1	102 m. 8	3793	17	21 Ahaziæ 1	25	126 m. 8	3817
35	9	2	103 m. 8	3794	18	2. 22	26	127 m. 8	3818
36	10	3	104 m. 8	3795		Jehorami.			
37	11	4	105 m. 8	3796	19	1	27	128 m. 8	3819
38	12 Ahabi. 1	5	106 m. 8	3797	20	2	28	129 m. 8	3820
39	2	6	107 m. 8	3798	21	3	29	130 m. 8	3821
40	3	7	108 m. 8	3799	22	4	30	131 m. 8	3822
41	4	8	109 m. 8	3800	23. Jehorami. 1	5	31	132 m. 8	3823
Josaphati.					2. 24	6	32	133 m. 8	3824
1	5	9	110 m. 8	3801			Badizori.		
2	6	10	111 m. 8	3802	3. 25	7	1	134 m. 8	3825
3	7	11	112 m. 8	3803	4	8	2	135 m. 8	3826
4	8	12	113 m. 8	3804	5	9	3	136 m. 8	3827
5	9	13	114 m. 8	3805	6	10	4	137 m. 8	3828
6	10	14	115 m. 8	3806	7	11	5	138 m. 8	3829
7	11	15	116 m. 8	3807	Ahaziæ 1	12	6	139 m. 8	3830
8	12	16	117 m. 8	3808	Athaliæ.	Jehu	Matyrni.		
9	13	17	118 m. 8	3809	1	1	1	140 m. 8	3831

Athalia.	*Jehu.*	*Matyrni.*	*Epoch. Tyr.*	*Period. Julian.*	*Joasi.*	*Jehu.*	*Pygmalionis.*	*Epoch. Tyr.*	*Period. Julian.*
2	2	2	141 m. 8	3832	20	26	17	165 m. 8	3856
3	3	3	142 m. 8	3833	21	27	18	166 m. 8	3857
4	4	4	143 m. 8	3834	22	28	19	167 m. 8	3858
5	5	5	144 m. 8	3835		Jehoachazi.			
6	6	6	145 m. 8	3836	23	1	20	168 m. 8	3859
Joasi.					24	2	21	169 m. 8	3860
1	7	7	146 m. 8	3837	25	3	22	170 m. 8	3861
2	8	8	147 m. 8	3838	26	4	23	171 m. 8	3862
3	9	9	148 m. 8	3839	27	5	24	172 m. 8	3863
		Pygmalionis.			28	6	25	173 m. 8	3864
4	10	1	149 m. 8	3840	29	7	26	174 m. 8	3865
5	11	2	150 m. 8	3841	30	8	27	175 m. 8	3866
6	12	3	151 m. 8	3842	31	9	28	176 m. 8	3867
7	13	4	152 m. 8	3843	32	10	29	177 m. 8	3868
8	14	5	153 m. 8	3844	33	11	30	178 m. 8	3869
9	15	6	154 m. 8	3845	34	12	31	179 m. 8	3870
10	16	7	155 m. 8	3846	35	13	32	180 m. 8	3871
11	17	8	156 m. 8	3847	36	14	33	181 m. 8	3872
12	18	9	157 m. 8	3848	37	15	34	182 m. 8	3873
13	19	10	158 m. 8	3849	38	16 Joasi. 1	35	183 m. 8	3874
14	20	11	159 m. 8	3850	39	2. 17	36	184 m. 8	3875
15	21	12	160 m. 8	3851	40 Amaziæ 1	3	37	185 m. 8	3876
16	22	13	161 m. 8	3852	2	4	38	186 m. 8	3877
17	23	14	162 m. 8	3853	3	5	39	187 m. 8	3878
18	24	15	163 m. 8	3854	4	6. Jeroboam ii. 1	40	188 m. 8	3879
19	25	16	164 m. 8	3855	5	7. 2	41	189 m. 8	3880

Amazia.	*Joaſi* & *Jeroboam* ii.	*Pygmalionis.*	*Epoch. Tyr.*	*Period. Julian.*	*Amazia.*	*Joaſi* & *Jeroboam* ii.	*Pygmalionis.*	*Epoch. Tyr.*	*Period. Jul.*
6	8. 3	42	190 m. 8	3881	9	11. 6	45	193 m. 8	3884
7	9. 4	43	191 m. 8	3882	10	12. 7	46	194 m. 8	3885
8	10. 5	44	192 m. 8	3883	11	13. 8	47	195 m. 8	3886

Accedant ultimo *Periodi Julianæ* anno anni alii 52, pro XVIII (qui ſuperant) *Amaziæ*, & XXXIV *Uzziæ*. Conſtabitque numerus annorum 3938 ad primam *Olympiadem*, ut dixi, accuratiſſime. Hunc certe puto calculum fuiſſe *Menandri*. Secutus autem eſt, ut puto, *Menander*, in commiſſione cum Regibus *Judæorum*, fidem potius *Demetrii* illius *Phalerei*, qui ſcripſit *de Regibus Judæorum*, (quemque ſub IV° *Ptolemæo* teſtatur vixiſſe [1] *Clemens Alexandrinus*,) potius quam Sacrarum literarum *Græce* jam verſarum. Jam enim olim difficilem fuiſſe illorum commiſſionem, innuiſſe videtur ipſe ille *Demetrius*, quod ſingulare de illo Argumento volumen conſcripſerit. Sic medio inter IVm *Ptolemæum* & *Joſephum* tempore vixerit *Menander*. Et tamen fortaſſis ante *Polyhiſtorem Cornelium Alexandrum*, qui ſub *Sulla* ſcripſit, hauſitque ex *Menandro* quæ habet de *literis* inter *Solomonem* & *Hiromum*. Hæc obiter, quod nihil haberet exploratum de illius tempore noſtri *Voſſii Parens*. Contexuerat autem *Demetrius* perpetuam *Judæorum* ad ſua uſque tempora *Chronologiam*, quam ad ſuam ætatem perduxit *Eupolemus*. Diſcimus hæc è *Patriarcharum* Chronologia, quam è *Polyhiſtore* conſervavit *Euſebius*, & ex iis quæ de utriuſque hypotheſibus tam *Demetrii* quam *Eupolemi*, habet *Clemens Alexandrinus*. Ad illam ergo *Tyriorum* Regum tempora exegit *Menander Epheſius*.

§. 16. Prædicta Chronologia *Tyriorum* aſtruitur è *Joſepho*.

Nos autem, in hac Regum *Tyriorum* ſerie, *Joſephi* numeros ſecuti ſumus. quà ſcilicet illos integros habemus. Supplevimus autem, quà deficiunt, ex illius ſummis *univerſalibus*. Hæc enim cauſa erat cur hactenus male ſe habere illius *numeri* exiſtimarentur, quod annum ab initio *Hiromi* 155 à XII° autem ejuſdem 143 non conficerent, quod tamen poſtulabant ſummæ illæ (in quibus maximus eſt *conſenſus*) *univerſales*. Non ſcilicet occurrebat, non modo apud *Theophilum Antiochenum* & *Syncellum*, verum etiam apud ipſum quoque *Joſephum*, deſiderari annos quibus regnarint *tres* filii *Nutricis* juniores. Πρεσβυτέρῳ ſeor-

1 *Clem. Al.* Strom. I.

ſim

sim annos tribuit XII. Sequitur deinde *lacuna*, qua fratrum reliquorum annos memoraverant Archiva. Eam manifestam faciunt verba proxime sequentia, tam in *Josepho*, quam in *Theophilo*: μεθ' ὃς Ἀστάρτος. Inde corruptum nomen *Methuastarti*, licet alieno loco, apud [1] *Theophilum*. Erant ergo & reliquis suæ quoque Regnandi vices, licet exciderint (nescio quo Librariorum errore) eorum anni. Non possumus ergo singulis suos annos, seu *Regni*, seu (pro reliquorum exemplo) *vitæ*, redintegrare. *Omnibus* tamen recte, ni fallor, illos imputabimus, qui alioqui defuturi erant ad summas *universales* explendas, tanto Auctorum Codicumque *consensu* stabilitas. Nisi forte X ex illis *Baleazaro* potius assignemus, quod XVII annos illi tribuant tam *Theophilus* quam *Syncellus*, contra *Josephum*, quod alibi nuspiam faciunt, hoc saltem in numero *consentientes*. De hoc autem cogitent alii, quibus otium est, ut id agant ex professo. Nos annos XVIII satis *paucos* existimamus qui inter fratres *juniores* tribuantur, ut omnium diutissime regnarit natu *maximus*, quod sane innuunt *Archiva*. Recte autem se habere nostram cum *Chronologia Sacra* commissionem, exinde colligimus, quod ita in *Ahabi* annum I^{m} conveniat annus *Ithobali* V^{us}, quem *Ethbaal* appellant Sacræ literæ, & *Ahabi* socerum fuisse docent. Sane commodissime. Vixit *Ithobalus* annis LXVIII, regnavit autem XXXII. Ita I^{o} *Ahabi* anno, annum egerit *Ithobalus* ætatis XLI^{m}. *Ætas* illa sufficit ut tunc *nubilem* filiam haberet *Jezabelem*. Ita ad VI^{m} *Jehorami Israelitici* superstes fuerit pater *Jezabelis Ithobalus*. Ut satis proinde commode ad *cædem* filii *Jehorami*, (quæ sexennio postea sequebatur,) pertigerit ipsa *Jezabel*, *formæ* adhuc studiosa, nec admodum *longæva*. Non equidem possum in hac tam antiqua Historia certi quippiam affirmare. Hæc tamen arbitror, si minus vera, saltem esse verisimillima. Credidit quidem *Petavius* cum *Sacra Historia* hæc pugnare *Phœnicum* Archiva, vel ipsum saltem fortasse *Menandrum*, qui IV^{m} *Solomonis* annum cum *Hiromi* commisit XII°. Hoc scilicet Argumento, quod mox ab initio *Davidis Hierosolymitano Hiramum Tyriorum* Regem Sacræ literæ memorarint. Sed fieri potest, ut inter duos *Hiramos* medius fuerit *Abibalus* illius *Hirami* decessor, cujus annus XII^{us} cum *Solomonis* anno confertur IV°; illius autem successor, qui initio *Hierosolymitano Davidis* amicitiam ambierit. Nec tamen certus designatur *Davidis annus*, quo amicitiam cum *Hiramo* contraxerit. Erat, ut videtur, frequens apud Reges *Tyrios*, *Hirami* nomen. Alium certe *Hiramum* postea ex iisdem *Archivis* idem exhibet *Menander*.

1 *Theoph.* L. III. ad *Autolych.*

§. 17. Inde *annus* colligitur quo fugerit è patria *Dido*.

Ex hac autem *Phœnicum* Chronologia ita constituta, sequitur anno *Period. Julian.* 3846, qui *Pygmalionis* erat VII[us] quo exsulavit *Dido*, ne quidem antiquiorem esse potuisse *Carthaginem*, quæ fuerit à *Didone* fundata. Is erat annus ante primam *Olympiadem* XCII[us], ante prima *Palilia Varroniana* CXV[us]. Potuit aliquot annis esse *recentior*. Nec enim mox à patria profuga sedem in continente firmam adepta est. Meliusque hæc cum receptis Veterum numeris consentiunt (qua quidem ipsi inter se consentiunt) quam quæ attulit in contrarium Magnus *Vossius*. *Eusebius* ad varios numeros, seu potius, è *Romanis* Scriptoribus, fortassis *Hieronymus*. De numero DCCCIV. jam vidimus. Ad num. etiam DCCCCLXXI, ita habet in Editione Scaligerana: *Carthago condita est, ut quidam volunt, à Carchedone Tyrio: ut vero alii, à Didone filia ejus, post Trojanum Bellum ann.* CXLIII. Sed *notæ* apponunt ad ann. DCCCCLXXVIII. unde suspicio est *Typographi* potius errorem esse, quam *Scaligeri*. Est enim annus ille *posterior* ab Excidio *Trojano* revera CXLIII, pro hypothesibus *Eusebii*. Vidit *Scaliger* hunc ipsum esse annum quem designaverat *Menander* ab *Hirami* XII°. Illud autem non vidit, cur ab Excidio *Trojano* numeraretur CXLIII. Fugerant nimirum Virum Maximum verba *Tatiani* ex eodem, ut videtur, *Menandro*, quem tamen appellat ipse *Pergamenum*. Fieri potest ut *utriusque* Urbis civis idem fuerit *Menander*, quod erat apud Veteres frequentissimum. Verba autem [1] *Tatiani* illa sunt: Τῶ δὲ Χειράμου ὁ χρόνος ἤδη πως τοῖς Ἰλιακοῖς ἐγγίζει. Quæ verba facile in hanc sententiam detorqueri poterant. Rursus ad num. MI. vel (ut *Scaliger* in *Notis*) MII. fugam *Didonis*, secundum nonnullos, idem ponit *Eusebius*. Nescio quo fretus sententiæ illius Auctore. Sic prima *Olympiade* 240 annis fuisset antiquior, qui numerus est annorum quo *Tyrus* ipsa Templo *Solomonis* antiquior erat. Idem iterum ejusdem meminit ad num. MCLXVII. vel potius (ut recte *Scaliger*) *Hieronymus*, pro hypothesibus tamen *Eusebii*, anno à Templo *Solomonis* CXLIII. Nempe ante *Olympiades* ann. 73. ante *Urb. Cond.* pro Epocha (quam sequitur *Hieronymus*) *Catoniana*, 98. Sic porro *Latini* loquuntur, ut (quanquam invicem non consentiant in tanta monumentorum penuria) non tamen *longe* abeant ab his *Phœnicum* Archivis. Annos Urbi *Carthagini* DCC rotundo numero tribuunt *Livius*, *Eutropius* & *Orosius*, quæ Urbis *Romanæ* anno *Varr.* 608 excisa est. *Velleius* (ne quidem ipse sibi consentaneus ex unico, unde prodiit, MS°.) [2] *Carthaginem* ait *ante annos* V & LX, *quam Urbs Romana conderetur, à Didone conditam*. Et tamen illam *stetisse* [3] tradit annis DCLXVII. qui proinde pertigerint ad

1 *Tatian.* Or. cont. Græc. 2 *Vell.* L. I. c. 6. 3 *Ib.* c. 12.

ann.

ann. *Varr.* 608. Poſterior numerus propius fortaſſis ad veritatem accedit. Erant enim, qui ad annum Epochæ ſuæ DCLXVIII perveniſſe credebant, ut nos docet in *Euſebiano* Chronico [1] *Hieronymus*. Si ad Epocham *Varronianam* annum illum Epochæ *Carthaginienſis* retulerit *Velleius*, ſic Urbe *Romana* annis tantummodo 59 fuiſſet antiquior, qui numerus à *Velleiano* juſto deficit *ſexennio*. Plane ut deficiebat à *Varroniana* Epocha *Fabiana*. Miſcuit ergo fortaſſe diverſarum ſupputationum rationes invicem *Velleius*. Ita ſcilicet ut *Urbis* annum 608, quo deleta fuerit *Carthago*, pro modo ſupputarit *Fabiano*. Sic enim eveniret, ut qui annus ante Epocham *Varronianam* fuiſſet 59, idem fuiſſet ante annum Epochæ *Fabianæ* 608, ut numerat *Velleius*, LXV. Alios, ubi ſupra, refert *Hieronymus*, qui annum *Carthaginis* ultimum numerarint ab ejus fundatione DCCXLVIII. Sic *Romam* præceſſerit annis CXL. Plerunque autem noſtra è *Phœniciis* Archivis origine recentiorem ſtatuunt. *Juſtinus* è *Trogo* annis LXXIII, [2] *Servius* tantummodo LXX, antiquiorem facit *Roma Carthaginem*. *Cato* annis XL, qui proinde proxime acceſſit ad ſententiam *Timæi*. Illam enim ſententiam *Timæo* tribuit [3] *Dionyſius*, ut aſſeruerit XXXVIII ante primam *Olympiadem* annis Urbis *Carthaginienſis* jacta fuiſſe fundamenta. Is annus erat ante prima *Palilia Varroniana* LXI. quo tamen eodem anno *Romam* conditam cenſuit ipſe *Timæus*. Quem autem habuerit ſententiæ Auctorem, neſcire ſe fatetur *Dionyſius*. Noſtram tamen, quam è *Phœnicum* Archivis dedimus, ſupputationem *ſuperat* etiam [4] *Solinus*, qui *Carthaginis* excidium ad annum retulit illius DCCXXXVII. Superat, pro aliis rationibus, etiam *Appianus*, qui *Siciliam* à *Carthaginienſibus* ablatam narrat anno Epochæ *Carthaginienſis* DCC°. qui proinde concurrerit cum fine Belli *Punici* II. annoque adeo U. C. Varroniano 513. Docet tanta illa ſententiarum *diſcordia*, quam incerta ſit his temporibus *Carthaginienſium Græcorumque* Hiſtoria. Docetque eadem, noſtras, quas è *Tyriorum* Archivis dedimus, rationes, ad *medium* proxime accedere, & proinde eſſe *veriſimillimas*. Cauſa ergo nulla prorſus eſt cur adeo *antiquam* cenſuerit Vir doctiſſimus *Carthaginem* ipſam; aut hunc, in quo verſamur, *Periplum Hannonis*.

§. 18. Inter *Olymp.* XCII. 4. & *Olymp.* CXXIX. quærendus eſt *Hanno* hujus *Peripli* dux.

Ego nihil ſane video quod obſtet, quo minus verum hujus *Peripli tempus* docuerit *Plinius*, cum illum rebus *Punicis* aſſignaret *florentiſſimis*. Sed limites quidam ponendi ſunt quibus *res* eorum *florentiſſimæ* fuerint concludendæ. Non poterant certe cenſeri *florentiſſimæ* poſt primum cum *Ro-*

1 Num. *Euſeb.* MDCCCLXXI. 2 *Serv.* ad Æn. I. v. 12. & 267. 3 *Dionyſ.* L. I. p. 60. 4 *Solin.* Polyhiſt. c. 30.

manis

manis Bellum, cum ditionibus avitis multarentur. Proinde post annum *Varr.* 513m, quo *Pax* illa *Pœnis* damnosa recepta est, non est *Hanno* ille quærendus. Nec proinde post *Olymp.* CXXXIV. 3. qui in annum illum *ineuntem* incidebat. Cladem enim illam nunquam ita resarciverunt, ut deinceps *res* eorum possint censeri *florentissimæ*. Sed ne quidem *Belli* ipsius tempus opportunum erat emittendis *coloniis*. *Pacis* hoc negotium erat, & plane talis qualem post *Belli* illius initium anno *Varr.* 490, *Olymp.* CXXIX, nunquam deinde consecuti sunt *Carthaginienses*. Sed nec vice versa nimis *alte* Epocha illa arcessenda est, uti fecit Vir Eruditissimus. Non potuit sane primis *Carthaginiensium* Historiis multo fuisse antiquior. Utcunque tunc *floruissent*, non tamen potuit, sine *coævis* Historiis, de *Carthaginiensium* statu *florentissimo* constare. Sed vero de *primis* eorum *Historiis* ex *Historicorum* illorum ætate judicandum est, qui apud illos habebantur *antiquissimi*. His autem *Antiochum Syracusanum* accenset *Dionysius Halicarnasseus*. Nunc enim illum [1] οὐ τῶν ἐπιτυχόντων τινὰ, οὐδὲ νέων συγγραφέα appellat, nunc etiam [2] πάνυ ἀρχαῖον. Proinde *multo* antiquiorem illo neminem noverat *Dionysius*, Vir tamen veterum monumentorum peritissimus, atque in iisdem versatissimus. Ad *Darii* autem *Nothi* tempora Historiam ab eo deductam esse Auctor *Diodorus* est. Nempe ad annum, ut vult ille, *Olymp.* LXXXIæ. 1m. Convenitque satis commode hæc illius ætas cum ætate patris *Xenophanis Colophonii*, qualem illam alibi descripsimus. *Medius* enim erat inter *Pythagoram* filiumque *Antiochum Xenophanes* ille, & seni *Pythagoræ* juvenis ipse coævus, & *longævitate* celebris. *Discipulus* autem *Pythagoræ Lysis juniores* etiam *Antiocho* discipulos habuit *Thebis*, *Philippum Macedonem Alexandri M.* patrem, & *Pelopidam* & *Epaminondam*. Quod si inter *Siculos* Historicos, qui etiam *olim* exstabant, πάνυ ἀρχαῖος habeatur *Antiochus*; non poterant certe ulli unquam *multo* fuisse antiquiores. Congruit examussim hæc *Siculæ* Historiæ Epocha cum ætate Historiæ *Græcæ* reliquæ. A *Græcis* enim ad *Siculos* cum *coloniis mores* etiam *Græci* emanarunt. Nec multos habebant *Historicos Græci* ipsi qui *Antiochum* ætate præcesserint. Et ne quidem habere potuisse vel inde manifestum est, quod non multo antiquiora habuerint exploratæ *fidei*, & sibi quoque invicem *consentanea*, monumenta. De *Cyro* certe jam [3] alibi vidimus, quam pugnarint eorum Traditiones, quasi nullis fulcirentur Scriptorum *Archivis*. Medio ergo inter *Cyrum* & *Darium Nothum* intervallo primi cœperint *Siculorum* Historici. Nec poterant adeo multo esse *antiquiores* res *Carthaginiensium florentissimæ*. Qui enim res *Carthaginiensium* lingua *Carthaginiensium* patria *Punica* prodiderit,

1 *Dionys.* L. I. p. 59. 2 ibid. p. 10. 3 Præl. Inaug.

neminem

neminem apud Veteres reperimus. A *Græcis* ergo (*Carthaginienſium* ſcilicet in *Sicilia* ἐπιχειρητείας, vel *hoſtibus*) primæ *Carthaginienſium* Hiſtoriæ deſcenderint. Inde factum ut de ſuæ *Urbis* origine tam variæ fuerint *Carthaginienſium* ipſorum Traditiones. Quod ſane fieri non potuit, ſi ullos habuiſſent *Originibus* ſuis *propinquos* Hiſtoricos; ſi ulla ſaltem *coæva*, nec dubiæ *fidei*, Archiva. Scripſit quidem de [1] *Re Ruſtica Mago Carthaginienſis*, & *lingua* ſcripſit etiam *Punica*: in vulgi gratiam, ut videtur, *Agriculturam* exercentis. Sed quæ *exteris* innoteſcere volebant, ea non alia lingua quam *Græca* ſcripta unquam fuiſſe legimus. Itaque poſt ſedes in *Sicilia* neceſſe eſt fuiſſe *res* illas *Carthaginienſium*, quæ in *Hiſtoriis* cenſentur *florentiſſimæ*. Sub *Cyro* autem & *Dario* infelices fuiſſe docuit *Trogus Pompeius*, & ex eo *Juſtinus* & *Oroſius*. Sub *Xerxe Siciliam* aggreſſi à *Gelone* ita victi ſunt, ut de ſua metuerent *Carthagine*. Sedes illis in *Sicilia* nullas tunc fuiſſe facile colligitur è *Diodoro*. Exercitum narrat ex *Africa* miſſum, & ne quidem è *Sicilia* vel ex *parte* conſcriptum, ſed ex aliis *Carthaginienſium* ditionibus. *Terminos* illis, in *Pacis* conditionibus, nullos, ut poſtea, in *Sicilia* poſitos apud illum legimus. Nova rurſus *Carthaginienſium* irruptio in *Siciliam* erat, poſt Hiſtoriam *Antiochi*, *Olymp.* XCII. 4. duce *Annibale*. Medio ergo tempore inter hanc novam *Carthaginienſium* Expeditionem atque *Olymp.* CXXIX, qua Im cœpit cum *Romanis* Bellum, *Hanno* ille quærendus eſt, quem ferunt hujus *Peripli* fuiſſe *ducem*.

§. 19. Collegam habuit hic *Hanno* *Himilconem*. In *Agathoclis* Bello duces erant tam *Hanno* quam *Himilco*.

Habet autem & aliam *Hannonis* hujus notam *Plinius*. Poſt verba de *Hannone*, addit ille: [2] *ſicut ad extera Europæ noſcenda miſſus eodem tempore Himilco.* Nempe *exterorum Europæ* nomine partes *Europæ* intelligit *Oceano* objectas, ſeu *mari exteriori*. Qua ſcilicet *Mediterraneo*, ſeu *interiori* Mare *exterius* opponi ſolet à *Geographis*. Id ergo vult, quo tempore oram *Libyæ*, quæ *Oceano* proluebatur, *Meridiem* verſus atque *Orientem* luſtravit *Hanno*; eodem oram *Europæ Occidentalem Septentrionalemque*, qua ſcilicet etiam ipſa vergebat ad *Oceanum*, luſtraſſe ſimiliter *Himilconem*. Et ſcriptis ſuam navigationem conſignaſſe docet *Feſtus Avienus*. *Punicorum Annales* appellat *Feſtus*, unde ipſe quædam de hac *ora maritima* ediderit. Si ita appellarit, quod *lingua Punica* concepta fuiſſent, ea cauſa ſatis veriſimilis eſſe potuit, cur tamdiu *Græcos* latuerit *Himilco*, etiam illos qui collegæ meminerint *Hannonis*. Sed *linguam Punicam* nihil eſt cur *Feſtum* intellexiſſe arbitremur. Non certe videtur intellexiſſe *Plinius*, qui tamen *Himilconis Periplum* viderit pariter ac *Hannonis*. Illum certe cum *Hannone* conjungit,

1 Vid. *Varron.* R. Ruſt. & *Columell.* & *Plin.* 2 *Plin.* N. H. II. c. 67.

recenſetque

recenſetque inter Auctores Externos è quibus Librum v^m. colle-gerit. Non eſt ergo *Feſtus* ita intelligendus quaſi ſua è *lingua Hi-milconis patria* tranſtuliſſet, cum eadem *alia*, certe quam *Punica*, lingua *Plinius* jam olim ante *Feſtum* uſurparit. *Punicorum An-nales* ille ſatis congrue appellare potuit, qui res *Pœnorum*, id eſt, *Carthaginienſium*, quacunque demum *lingua*, complexi fuiſſent. Nec ſane ullum eſt *linguæ Punicæ* veſtigium in collega *Himilconis Hannone*. Utinam exſtaret ille cognati Argumenti *Periplus*. Vix eſt cur dubitemus quin lucem *Hannoni* fœnerari, & viciſſim ab ipſo capere, potuerit. Nunc ſaltem illud ex hoc *Plinii* loco col-ligimus: inter varios prædicti ſpatii *Hannones*, eum demum eſſe quærendum, qui *ſocium* habuerit, & *parem* in Reipublicæ officiis, *Himilconem*. Et quidem tales legimus, in *Agathoclis* Bello, *Car-thaginienſium* duces, tam *Hannonem* quam *Himilconem*. Ita quo-que ſibi invicem *pares*, ut, cum (diſtrahendis *Agathoclis* copiis) varios ex Urbe exercitus *Carthaginienſes* emitterent; ſeorſim imperarint, alteri exercitui *Hanno*, alteri *Himilco*. Ita *Diodorus* *Olymp*. CXVIII. 2. Nec abſurde ſane, paulo ante expeditionem *Agathoclis*, res *Carthaginienſium* ſtatuemus *florentiſſimas*, cum eam virium ſuarum fiduciam haberent, ut *Syracuſas* ipſas auderent terra marique obſidere. Afflixerat illas *Olympiadis* CX^æ anno 1° *Bello*; & 2° *Pacis* conditionibus, *Timoleon*. Afflixit ipſe dein-ceps *Agathocles*, &, poſt illum, *Pyrrhus*, antea quam I^m cum *Romanis* Bellum inirent. *Medio* ergo tempore, ſed quod proprius ad *Agathoclis* tempus acceſſerit, *Pax* illa potuit eſſe *florentiſſima*, qua vacare potuerint *Carthaginienſes* coloniis emittendis.

§. 20. *Peripli hujus meminit Xenophon Lampſacenus.* Sed ejus *ætas* incerta.

Videndum jam num cum hac *Hannonis* ætate conveniat *mentio* hujus Peripli *antiquiſſima*. Meminit quidem *Hannonis* expreſſe *Xenophon Lampſacenus*, ut nos docet [1] *Solinus*. Sed quanto fuerit *Plinio* & *Solino* antiquior ille *Xenophon*, exploratum non habemus. Ego non admodum antiquum fuiſſe ſuſpicor. Nullum certe locum habet inter celebres *Lampſacenos* à [2] *Strabone* memoratos. Ita fuerit *Strabone* fortaſſe *junior*, niſi forte illum *Strabo* contemſerit, qui *fabularum* Auctores contemnendos, nec memoria dignos eſſe, docet. Illud *antiquitatem* aliquam fortaſſe ſapit, quod *Periplum* ſuum, ut *Hanno*, ita iſte [3] *Xenophon*, *diurnis* potius itineribus, quam *ſtadiis* emenſus fuerit. Primum enim, qui *ſtadiis* itinera deſignavit, *Timoſthenem* fuiſſe innuit [4] *Marcianus Heracleota*, qui (ſcilicet *Timoſthenes*) ſub *ſecundo* vixit *Ptolemæo Philadelpho*. Illum enim ſequebatur, exſcripſitque, *Eratoſthenes*. Nempe *diurna*

1 *Solin*. c. 56. 2 *Strab*. L. XIII. p. 589. 3 Vid. ap. *Plin*. N. H. IV. 13. V. 31.
4 *Marcian*. Peripl. p. 64.

deceſſorum itinera in certum *ſtadiorum* numerum redigens. Sed neſcio an proinde colligere liceat *Timoſthene* antiquiorem, vel *coævum* ſaltem hunc fuiſſe *Xenophontem*. Nihil hic audacter affirmaverim.

§. 21. Primus meminit Auctor Operis περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, *Ariſtotele* ipſo, non multo *junior*. Forte *Theophraſtus*.

Primus, ut opinor, qui hujus *Peripli*, ſub *Hannonis* etiam nomine, mentionem fecerit, Auctor erat Operis [1] περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, non quidem *Ariſtoteles* ipſe, non tamen *multo* junior. [2] *Sardiniæ* ita meminit, quaſi *Carthaginienſes* Dominos adhuc etiam agnoverit. Et in [3] *Sicilia* meminit *Carthaginienſium* ἐπικρατείας. Adhuc ergo erant etiam in *Siciliæ* poſſeſſione *Carthaginienſes*, qui tamen *Inſulis* illis ambabus exuti ſunt per conditiones *Pacis*, quæ recepta eſt poſt Bellum *Punicum* 1m ann. *Varr*. 513. *Olymp*. CXXXIV. Sequitur præterea antiquorum errorem de [4] *Iſtri* alveo qui in mare decurrerit *Hadriaticum*. Hunc errorem tum demum innotuiſſe ſcribit [5] *Diodorus*, cum *Iſtria* in Populi *Romani* poteſtatem veniſſet. Victa nempe *Teuta Illyriorum* Regina, medio tempore inter *primum ſecundumque* Bellum *Punicum*. Eſt porro opus illud *Antigono Caryſtio* antiquius, quem ſub duobus primis *Ptolemæis* floruiſſe probavit *Voſſius* Pater. Ita ſcilicet intelligendus, ut ſub *ſecundo* potius *Ptolemæo* ſcripſerit *Antigonus*. *Timæi* enim teſtimonium advocat *Antigonus*, qui [6] *Pyrrhi* etiam res geſtas ſingulari Opere complexus eſt. Res autem geſſit *Pyrrhus* in *Sicilia* poſt mortem *Agathoclis*. Itaque primi ſaltem *Ptolemæi* ætate ad *exitum* vergente, jam prodierat in lucem *Periplus Hannonis*. Vix enim poterat Opus περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων ætate illa eſſe *recentius*. Sed nec multo eſſe poterat *antiquius*, tantum abeſt ut ipſius fuerit *Ariſtotelis*. [7] *Agathoclem* ipſum *Siciliæ* Regem verbis memorat expreſſis, qui *Olymp*. CXV, 4, *Tyrannidem* ſuſcepit, cum jam *Olymp*. CXIV, 3, deceſſiſſet *Ariſtoteles*. Idem (quicunque demum is fuerit) Auctor [8] *Cleonymi* meminit *Spartiatæ*, cui cum inſidias ſtruxiſſent *Paulus Peuceſtius* atque *Cajus*, à *Tarentinis* ait fuiſſe punitos. Neſcio cur nomen Ταραντίνων hoc in loco in Ταρκυνίων mutarit Interpres. Nam ad *Tarentinos* miſſus eſt *Cleonymus*, cujus res geſtas *Olymp*. CXIX, 2, memorat *Diodorus*: ſub Coſs. autem anni *Varron*. 452 *Livius*. Opus illud quicunque tandem ſcripſerit, verbis tamen ſæpe uſus eſt non *ſuis*, ſed *alienis*. Hoc diſcimus è voce φησί, p. 1164. Diſcimus item ex aliis ejuſdem verbis, p. 1159: Τοῦτο μὲν οὖν ἡμῖν φαίνεται μυθωδέστερον· ὅμως μέντοι ἔδει μὴ παραλιπεῖν ἀμνημόνευτον αὐτό, [τὴν] περὶ τῶν τόπων ἐκείνων ἀναγραφὴν ποιούμενον. Verba ſunt illius qui rem *Geo*-

1 P. 1153. 2 p. 1159. 3 p. 1162. 4 p. 1160. 5 *Diodor*. L. IV. 6 *Dionyſ. Hal*. Præf. Antiq. p. 5. *Cicer*. L. V. Ep. Fam. ad *Lucc*. 7 p. 1161. 8 p. 1156.

graphicam suscepisset ex professo, non autem illius qui θαυμάσια ἀκούσματα undecunque corrasisset. Nescio an ex *Aristotelis* Opere celeberrimo περὶ Πολιτειῶν. si quidem, præter Civitatum *Leges* atque *mores*, etiam *regionum* res mirandas observarit. Siqua conjecturæ venia, crediderim hoc Opus è variis *Aristotelis* Operibus collectum esse à *Discipulo* & Successore illius *Theophrasto*, verbis nonnunquam *suis*, nonnunquam ipsius *Aristotelis*. Ita tamen ut *recentiora* quædam è sua memoria suppleverit ipse *Theophrastus*. Sic merito *ambobus* tribuendum erat, tam *Aristoteli*, quam *Theophrasto*. Frequens enim erat in hujusmodi collectionibus *Theophrastus*. Collegit decreta *Anaxagoræ*, *Anaximenis*, *Archelai*, *Diogenis*, *Metrodori* & *Xenocratis*. Epitomen fecit *Platonis* de *Republica*, atque *Aristotelis* de *Animalibus*. Imo Ὑπομνημάτων Ἀριστοτελικῶν ἢ Θεοφραστείων Libros VI scripsisse Auctor est [1] *Laertius*. Nescio annon hoc ipsum *Opus* sub illo titulo designarit. Poterant enim θαυμασίων ἀκουσμάτων illa fuisse Ὑπομνήματα. vm sane hujus Operis Librum περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων advocat [2] *Stephanus*. Et quidem sub nomine *Aristotelis* ea inde profert, quæ ibi hodieque reperiuntur. Idem etiam sæpe alibi ex hoc Opere testimonia adducit, sub eodem quoque nomine *Aristotelis*. Quod vero propius ad causam nostram facit, *Antigonus* utriusque nomine loca inde depromsit, tam *Aristotelis*, quam etiam *Theophrasti*. Nomine quidem *Aristotelis*, c. 31. Ne alia loca jam memorem, quæ in aliis *Aristotelis* Operibus hodieque reperiuntur. Sed & *Theophrasti* nomine alia idem adducit *Antigonus*. Certe c. 146. Et fortassis c. 149, 152, 154, 156. Atque etiam c. 188. Pendent enim hæc omnia aliquatenus à c. 145. quo nomen ipsum designavit *Theophrasti*. Et solet alioqui etiam *Antigonus* ex eodem Auctore καθεξῆς excerpere. Certe *finem* iis, quæ collegerat ex *Aristotele*, imposuit c. 127. Hoc ergo tempore *Antigoni*, ut in *Libros* distributum hoc Opus legebatur, sic etiam manifestum fuisse videtur, quæ ipse ex *Aristotele* excerpserit, & quæ sua addiderit, *Theophrastus*. Nec enim alioqui *sua* singulis tam accurate assignare potuit *Antigonus*. Sed mutilavere postea, formamque Operis universam mutavere juniores. Et sane *confusionis* indicia in Operis *initio* prodiderunt *H. Stephani* MSS. ut ex iis, quæ in *fine* subjiciuntur, constat Additamentis. Poterant etiam alioqui confundi invicem Opera *Aristotelis* atque *Theophrasti*. Simul enim ambo apud *Nelei* hæredes, quibus ea legaverat *Theophrastus*, latuerunt; simulque *Sullæ* opera ex *Apellicontis Teji* Bibliotheca in lucem prodierunt, ut Nos docet [3] *Strabo*, atque [4] *Plutarchus*. Librum certe de *lineis insecabilibus*, qui

1 *Laërt.* L. V. n. 48. 2 *Steph.* Γελωνή. 3 *Strab.* L. XIII. p. 608. 4 *Plutarch.* Sull.

inter

inter *Aristotelis* Opera legi solet, *Theophrasto* asserunt tam *Laërtius*, quam *Alexander Aphrodisæus* : ut, ante Nos, jamdudum observavit Cl. *Meursius*. Convenit præterea satis commode ætas *Theophrasti*. Erat enim admodum [1] *longævus*, attigitque *Olymp.* CXXIIIm, qua successorem habuit in Schola [2] *Peripatetica Strabonem* secundi *Ptolemæi* Præceptorem. Sic poterat ipse ea omnia scripsisse, quæ in hoc Opere legimus *Aristotelis* morte *recentiora*. Hæc tamen de hoc Opere obiter. Constat interim, quam egregie cum ea, quam dixi, *Peripli* hujus *ætate* conveniat, quòd in hoc Opere testimonium inde advocatur.

§. 22. *Scylax* non ex *Hannone*, sed ex antiquioribus Hannone *Phœnicum* Periplis, sua hausit.

Habet quidem, fateor, cum *Hannone* nostro communia nonnulla etiam *Scylax*. Et quidem *Urbium* nomina aliqua, quæ à se imposita profitetur *Hanno*, [3] *Thymiateriadem* atque *Cernen*. Nusquam ille quidem *Hannonis* de *nomine* meminit. Et tamen hæc *antiquiorem* illum *Scylace* probarent, si quidem *verax* ille *Periplus* fuisset. Atqui jam vidimus *Phœnicum Tyriorum* colonias intervertisse, atque sibi vendicasse *Libyphœnicas Carthaginienses*. *Phœnicum* autem *colonias* illas fuisse censet *Scylax*, non *Libyphœnicum*, ut vult impostor sub nomine *Hannonis*. Imo *Phœniciam* ipsam illi *Scylacis* incoluere *Phœnices*. Hoc enim docent [4] *merces* eò, si *Scylacem* audiamus, importatæ : ex *Ægypto* scilicet atque *Attica*. Quis enim est qui non statim intelligat, quanto hæc aptius *Phœniciæ* conveniant, quam *Libyphœniciæ*? Poterant, fateor, è quacunque *Mediterranei Maris* ora merces *Æthiopibus* ad *Oceanum* sitis inferre *Carthaginienses*. Poterant sane, si, post conditam *Carthaginem*, curam deinceps omnem navigationum *Occidentalium* intermisissent *Tyrii Phœniciæ* ipsius inquilini. Sed commercium horum *Phœnicum* cum *Gaditanis*, & *Gaditanorum* cum *Libyæ* partibus *Oceano* objectis, jam [5] probavimus. Et quidem tale, ut merces *Carthaginiensibus* ipsis incognitas *Carthaginem* importarint. Quod sane fieri non potuit, si cum iisdem commercium habuissent ipsi *Carthaginienses*. Salvo autem commercio, longe commodius *Ægyptiorum Athieniensiumque* merces *Phœnicibus*, quam *Libyphœnicibus* imputabimus. Atqui res ipsa clamat, longe *alias* fuisse *Scylacis* rationes, urbiumque situs, quam fuerint *Hannonis*. Ultra *Lixum* fluvium *Thymiateriada* statuit *Scylax*, cum tamen suam Urbem *Thymiaterium* (multis quoque aliis coloniis int erpositis) citra *Lixum* ponat *Hanno*. Idemque dicendum de Promuntorio etiam *Soloënte*. [6] *Cernen* porro pro *ultimo* navigationis termino habet *Scylax*. Ulteriora negat esse navigabilia propter

1 Vid. *Menag.* ad *Laërt.* L. V. n. 47. 2 *Laërt.* L. V. n. 58. 3 *Scylax* p. 53. 4 *Scyl.* p. 54. 5 §. 13. 6 *Scyl.* p. 53.

brevitatem maris & cœnum & algam. Sic viceversa, *Ephorum*, ait [1] Plinius, *Auctorem* fuisse *à Rubro Mari navigantes in eam non posse propter ardores ultra quasdam columnas (ita appellantur*, inquit, *parvæ Insulæ) provehi.* Inde *Cerne* πυμάτη [2] *Dionysio*, aliisque. Loquitur enim ita *Scylax* ut solebant veteres Geographi, quoties de terrarum cognitarum ultimis esset sermo, ut jam olim observavit [3] *Plutarchus.* At *Cernen* ultro citroque navigabilem noster saltem facit *Hanno*. Imo multis deinde post *Cernen* diebus, ad *Gorillas* se pervenisse fabulatur. Ex hoc autem *Ephori* testimonio colligimus, ut aliæ erant ab *Hannonis* rationibus rationes *Scylacis*, sic etiam fuisse *vetustiores*. Et rationes proinde *Phœnicum* similiter *antiquiores* fuisse rationibus *Libyphœnicum*, licet nihilo fuerint fortasse *veriores*. Convenit porro cum hoc *Ephori* testimonio etiam [4] *Herodotus*, qui notam è *Carthaginiensium* navigationibus, quam appellat ipse *Cyranin*, infra *columnas*, ut videtur, ponit *Herculeas*. Certe illis *Libyæ* oris opponit, quas postea extra *columnas* fuisse tradit. Sic fuerat necesse ut è *Rubro Mari* navigantibus *columnæ* ipsæ fuerint transeundæ, quas quidam *Insulas* fuisse existimabant, ut jam [5] supra observavimus. Quoniam autem *Orientalium* ab *Occidente* navigationum Veteres terminum *Cernen* existimabant, inde factum ut ab *Occidente* eam tandem transtulerint in *Orientem*. Hoc autem obiter. Cæterum vix est cur dubitemus quin è *Cyra* monte (ut voluit *Trogus*) nomen traxerit illa *Cyranis*, eademque proinde fuerit cum sede *Gorgonum Cerne* atque *Cyrene*. Sic eam *Herodoti* (imo etiam *Ephori*) ætate Veteres nondum ultra *columnas Herculeas* promoverint. *Historiam* autem suam *Ephorus* ad *Olymp.* CIX, 4, perduxit, ut nos docet *Diodorus*. Convenit egregie, quod *Palæphatus Peripateticus Aristotelis* Discipulus (ejusdemque adeo cum *Ephoro* ætatis) *Cyrenen Gorgonum* ad *columnas* ipsas posuerit *Herculeas*. Itaque his recentior fuerit oportet larvatus *Hanno*, qui tam longe *Cernen* suam ultra *columnas* illas summoverit. Quare nihil hausit ex *Hannone Scylax* (ut credidit Maximus *Bochartus*) etiam eorum quæ habet cum *Hannone* communia, sed ex antiquioribus *Hannone Phœnicum* ipsorum rationibus; non autem ex illis, quas est secutus *Hanno* ipse, *Libyphœnicum.* Erat sane in antiquioribus illis rationibus *Urbium* earundem mentio, quas à se conditas gloriatur *Hanno.* Καρχηδὼν τεῖχος memoravit antiquior *Hannone Ephorus*: Μέλισσα *Hecatæus Milesius* (in Περιηγήσει, ut videtur, Λιβυκῶν) *Græcorum* Historicorum fere antiquissimus: utrumque docet *Stephanus.* Tunc autem certe non poterant *Carthaginiensium* res fuisse *florentissimæ*. Poterant vero tum quoque has *colonias* sibi

1 *Plin.* N. H. VI. 31. 2 *Dionys.* v. 219. 3 *Plutarch.* Thes. 4 *Herodot.* L. IV. c. 195. 5 §. 6.

vendicare

vendicare *Phœnices Tyrii*. Non tamen negaverim, etiam *Herodoti* ætate, ipsam quoque illam *Cyranin* sibi vendicasse *Carthaginienses*. *Carthaginiensium* enim narrationibus ea quæ habet de *Cyrani* accepta referre ipse quoque videtur *Herodotus*. Hinc autem illud tantummodo colligemus, antiquiorem *Hannone* illam fuisse *Tyriorum Carthaginiensiumque* de *Cerne* æmulationem. Cæterum non proinde malæ fidei absolvetur *Hanno*, qui tam nuperam *Cernes* suæ, sive *Cyrenes* ad montem *Atlantem*, fingit originem, quam nos tanto *antiquiorem* fuisse vicimus. *Cernen* enim eandem cum veteri designare voluit, cum illam *lacui* propinquam fuisse fabulatur.

§. 23. *Periplum*, post *Hannonis* mortem, sub illius *nomine* confinxit *Græcus* aliquis *Carthaginiensium* studiosus.

Recte ergo, ut opinor, *Hannonis* illius ætatem designavi, sub cujus nomine *Periplum* commentus est junior aliquis *Hannone Græcus* Impostor. *Hannonem* autem ipsum Ego à fraude libenter absolverim. Suspicor omnino, post illius & collegæ *Himilconis* mortem, à *Græculo* aliquo *Siculo Carthaginiensium* studioso, sub illorum nominibus *Periplos* fuisse suppositos. Et fortasse pro exemplo *Alexandri Magni*. Nempe *Alexandri* auspiciis *Oceanum Orientalem* lustraverant *Nearchus* atque *Onesicritus*, ab *Indo* usque ad Mare *Erythræum*. Sic viceversa *Carthaginiensium* auspiciis (quorum navigationes erant in *Occidentem* tunc certe omnium celeberrimæ) lustrandum credidit Impostor *Oceanum Occidentalem* ad *Mare* similiter *Erythræum*, exordio ducto à *columnis Herculeis* : & lustrantium ducum *numero* plane simili, *Hannonis* atque *Himilconis*. Id porro operam dedit Impostor, quo magis invicem convenirent, ut navigationis utriusque *terminus* in Mari constitueretur *Erythræo*. Ita Navigationes *Alexandri Carthaginiensiumque* (pro Impostoris, ut videtur, mente) contulerunt invicem [1] *Plinius* atque [2] *Arrianus*. Studium autem *Carthaginiensium* prodit, quod & *duces* horum Periplorum *Carthaginienses* fecerit; & quod partes *Carthaginiensium* secutus fuerit in *coloniis Tyriorum* sibi vendicandis. *Græcum* autem fuisse, qui hos Periplos confinxerit, ostendunt *nomina* Urbium *Græca* omnia, nec ullum *Punicæ* Originis vel vestigium exhibentia. Frustra ergo se torsit maximum *Bocharti* ingenium, ut Urbium nonnullarum Etymologias ex *Ebræo* arcesseret. In postremis autem sibi temperavit, quasi desperabundus; & vere *fabulosum* esse tandem suum concedit *Hannonem*. Quod tam *invitus* demum vel conari desierit, facile intelligimus vidisse illum quam *aliena* essent à Persona *Pœni* ducis Urbium à se conditarum *Græca nomina*. Adeo tamen *decori* imperitus erat, ut se vel ita prodiderit incautus impostor. Et ne

1 *Plin.* N. H. II. 67. 2 *Arrian.* in fin. Peripl. *Nearch.*

quidem

quidem *Scriptum* aliquod *Hannonis* advocat, coævis *notum*, & in clara hominum *luce* positum; sed sacratum in *Templo*. Sic penes ipsum erat quod libebat sub *Hannonis* nomine confingere, quasi primus ille in Templi *adyto* reperisset. Edidit autem ex intervallo, postea quam in *vivis* desierat esse ipse *Hanno*, ne vel ipse, vel quispiam ejus amicus alius, conficta illius nomine mendacia in ipso ortu refelleret. Jam alibi [1] ostendimus, quam fuerit apud *falsatores* fraus illa recepta, ut fidem suis commentis è reconditis *Templorum* monumentis conciliarent. Erant quidem, fateor, *genuina* istiusmodi in *Templis* sæpe monumenta. Sed prostabant etiam *publice*, quæ nulla vetabat *Religio* quo minus *publicarentur*. Sic enim factum in *Pontificum Annalibus*, ut alibi [2] ostendimus. Horum extra *Templum* ipsum vestigium nullum præ se ferebat Editor. Sed *patria lingua* concipi solebant quæ ad *rerum patriarum* memoriam perennandam in *Templis* servabantur. Hic *Punicæ linguæ* nullum est, ut vidimus, vestigium: ne quidem in *locorum* nominibus, quæ *Pœni* ipsi imposuisse finguntur. Sed in *Historias* ipsas tandem accepta sunt, cum suppeteret monumentorum *copia* satis ampla conficiendis *Historiis*. Ita enim factum in Historia *Romana*. Quis autem unquam Historiam *Punicam* ex *Archivis Templorum* collegit *Punicis*? Sed *Historiis* lingua *patria* conscribendis ansam dare solebat *Archivorum* copia lingua *patria* conceptorum. *Punica* autem *lingua* qui *Historiam* scripserit, de *rebus* etiam *Punicis*, neminem habemus Veterum qui meminerit. Imo effecisset *Archivorum* ipsa *lingua*, ne multa possent ab aliis scribi quam *indigenis*. Hoc ipsum ostendit [3] *Dionysius Halicarnassæus*, cur tam pauca de *Romanis* explorata haberent *Græci*, cur ipse tædium *linguæ* peregrinæ *discendæ* devorarit. Quis item *Græcus* unquam *Historiæ Punicæ* scribendæ gratia *linguam Punicam* sibi necessariam existimavit? Pauca admodum, si forte ulla, istiusmodi *Archiva Punica* fuisse verisimillimum est. Nihil certe inde depromsit *Polybius Scipionis Æmiliani* institutor; cui tamen patebant arcana omnia *Carthaginis*, cum *Urbs* ipsa exscinderetur. Et tamen *usum Archivorum* ille, siquis alius, optime callebat; iisque, cum suppeterent, *Historiam* suam confirmavit. Inde vetera hausit [4] *Romanorum Carthaginiensiumque* fœdera. Inde res gestas *Hannibalis* in *Hispania*: ex Inscriptione viz. quam sacravit ipse *Hannibal* in Templo [5] *Junonis Laciniæ*. Inde *annum* Urbis *Romanæ* Natalem, teste [6] *Dionysio Halicarnassæo*. Ne *neglecta* ab eo fuisse suspicemur *Carthaginiensium*, siqua uspiam fuissent, Archiva. Si quod fuisset *Hannonis* in *Templo* aliquo Archetypum, ad illud potius provocassent

1 De *Sanchoniathon*. §. 11. 2 App. Præl. 3 *Dionys*. Præf. Antiq. 4 *Polyb.* L. II. 5 Id. L. III. *Liv.* XXVIII. 46. 6 *Dionys*. *Hal.* L. I. p. 60.

qui

qui *Hannonis* studio tenebantur, eumque genuinum esse volebant, quam ad *Gorillarum pelles* in *Templo* suspensas. Perierunt porro in *Romanæ* Urbis incendio tot *Archiva*, ut priorem *Historiam* propterea minus integram fateatur ipse [1] *Livius*; inde autem novam integrioris Historiæ quasi Epocham arcessat. In Urbis *Carthaginiensis* excidio tanto *recentiori* nemo est, qui *Archiva* vel *periisse* queratur. Nemo, qui *Scipionis* vel *conatum* narret, ne perirent, cum fuerit tamen ille tantus bonarum literarum Patronus. Nullum ergo fuisse verisimile est, vel in *Templo*, Periplum *Hannonis* Originalem. Nullum apud *Carthaginienses* morem *Archivorum* in *Templis* servandorum. *Singularia* autem, nec recepta aliqua servandorum Archivorum *consuetudine* freta *Archiva*, merito sanè suspecta habenda sunt, cum tot fuerint sub *Archivorum* prætextu Veterum Impostorum *fraudes*. Hunc autem *Periplum* illis quoque *temporibus* suspectum fuisse docet, quod ad *pelles Gorillarum* in *excidio* repertas provocatum fuerit.

§. 24. Periplus *hodiernus* à *Veterum* Periplo, qui sub *Hannonis* nomine confictus est, in multis admodum *mutatus* est.

Est tamen, ni fallor, ab eo quem *Veteres* usurpabant, admodum *diversus* ille, quem *Nos* hodie usurpamus, *Periplus Hannonis*. Periplum *Veterum* in *Junonis* Templo consecratum fuisse consentiunt [2] *Plinius* & [3] *Solinus*. Periplo si *hodierno* fides, in Templo prostabat, non *Junonis*, sed *Saturni*. *Gorgadum* Insulam ad *Hesperion ceras*; *Cernen* autem contra sinum *Persicum*, & proinde in *Peripli fine*, ponit [4] *Plinius*. Omnino, ut videtur, è coævis hujus *Peripli* Codicibus. Magis certe pro mente *Veterum*, qui in *Cerne* Navigationis utriusque *fines* committebant, tam *Nearchi* quam *Hannonis*. Vice autem versa citra *Hesperion ceras Cernen*; & ad *Notion ceras*, ipsumque adeo Navigationis *finem*, *Gorillas* ponit Periplus *hodiernus*. Convenit porro in *Gorgadum* situ cum *Plinio* etiam [5] *Mela*, qui etiam ipse advocat, qualis tunc legebatur, *Hannonem*. Vix est præterea cur dubitemus quin *eadem* fuerit, in *situ* tam *dispari*, Insula *Gorgadum* atque *Gorillarum*, utcunque refragetur Cl. [6] *Vossius*. In *Plinio* certe atque *Mela* nullas legimus à *Gorgadibus* diversas *Gorillas*; nec vicissim, in *Hannone hodierno*, alias à *Gorillis Gorgadas*. Et tamen in *Gorgadas Hannonem penetrasse*, ibique *hirtis corporibus feminas* reperisse, docuit *Xenophon Lampsacenus* testibus *Plinio* & *Solino*. Unde illa, quæso, *Xenophon* nisi è coævo *Periplo Hannonis*? Ubinam autem *Gorgadas*; ubinam *hirto corpore feminas*, in *Hannone hodierno* potuit reperire *Vossius*, præterquam in *Gorillis*? Itaque *nomina* illa invicem permutavit Auctor Peripli *hodierni*. Vidit ni-

1 *Liv.* L. VI. 1. 2 *Plin.* N. H. VI. 31. 3 *Solin.* c. 56. 4 *Plin.* VI. 31. 5 *Mel.* III. 9. 66. 6 *Voss.* ad *Mel.* III. 9. 66.

mirum

mirum *antiquior* ille, sub *Hannonis* nomine, falsarius; cum *Cernen* suam ex *Occidente* transtulisset in *Orientem*; aliam proinde quærendam fuisse *Gorgonibus* sedem, quas *Occidenti* assignaverat *Hesiodus*. Inde factum ut non amplius *Cernen* Insulam illam, sed *Gorgadum*, appellarit. Transtulit autem, ut quæ *ultima* censeri solebat *terrarum Cerne*, eadem *ultima* etiam esset in hac *Navigatione Hannonis*. Perperam ille quidem cum *Occidentem* versus censeri soleret *ultima*, & *Orientem* versus navigaret *Hanno*. Quod porro *Gorgades* à *Gorgonibus* appellarentur, unde, quæso, Veteres habebant nisi è *coævo Hannone*, quem legerant in *Gorgadas* ipsas *penetrasse*? Ubinam autem hoc legerant nisi in ipso illo, qui *tunc* illius nomine ferebatur, *Periplo*? Atqui de *Gorgonibus* nihil plane *hodiernus Hanno*. Imo viceversa supponit potius, si quæ fuissent, in *Cerne* potius quærendas fuisse quam *Gorillis*. Sic enim illi liberum fuisset ut *Gorillas* suas in *Oriente* poneret, cum sedem *Gorgonum Cernen* in *Occidente* reliquisset. Nescio an hanc ipsam *rationem* ob oculos habuerit junior Impostor, cum *veteris Hannoniani Peripli* situs in *Cerne Gorillisque* ita perverteret. Forte etiam *Gorillas* illas *feminas* propterea appellavit, ne quid affine habere viderentur cum *Hesiodi Gorgonibus*. Faciunt eodem verba illa *Arriani* in fine Peripli [1] *Nearchei*: Ἄννων δὲ ὁ Λίβυς ἐκ Καρχηδόνος ὁρμηθεὶς, ὑπὲρ μὲν Ἡρακλέους στήλας ἐξέπλωσεν ἔξω ἐς τὸν πόντον, ἐν ἀριστερῇ τὴν Λιβύην γῆν ἔχων· καὶ ἔστε μὲν πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον ὁ πλόος αὐτῷ ἐγένετο, τὰς πάσας πέντε καὶ τριήκοντα ἡμέρας. Unde & hæc præterquam è *coævo Hannonis Periplo Arrianus*? *Continuas* ergo numeraverat *Hanno Arriano coævus* dierum XXXV (postquam *Oceanum* ingressus esset) versus *Orientem* navigationes, antea quam in *meridiem* deflecteret. Nimirum ante ἀνυδρίας & καύματος incommoda, quæ senserunt è *rivis igneis in mare incumbentibus*, ῥύακας πυρὸς ἐς τὸν πόντον ἐμβάλλουσιν, inquit *Arrianus*. Et πυρώδεις ῥύακας, qui ἐνέβαλλον εἰς τὴν θάλατταν, memorat *Hanno* quoque *hodiernus* post *Hesperion ceras*, ad χώραν διάπυρον Θυμιαμάτων. Illum ergo locum designavit *Hanno Arriani*, quo Navigationis *Orientalis* XXXV° demum die perventum fuerit. Atqui à *Soloënte* Promuntorio, unde incipit Navigatio *Orientalis*, ad regionem *Thymiamatum*, dies ex *Hannone hodierno* non plures $24\frac{1}{2}$ numerabis. Ne quidem ipsos *continuos*. *Bidui* enim Navigatio, in illo ipso spatio, ad *Meridiem* numeratur. Desunt ergo in *Hannone hodierno* Navigationis illius multi *dies*. Et multa, quam volebat antiquus Impostor, aliter *narrata*. Atqui nullum certe *Hannonem* novit [2] *Herodotus*, qui tamen *Africæ*, quos novit, *Periplos* recenset, & qui ipsos consuluerat, ea de causa, *Carthaginienses*. Itaque

1 P. 40. 2 *Herodot.* L. IV. c. 42, 43.

nullius

nullus tunc *Hannonis* nomine receptus eſt *Periplus*, vel apud ipſos *Hannonis* cives *Carthaginienſes*. Eſt ergo junior *Herodoto* Periplus ille etiam *antiquior*. Scire quidem potuit *Hannonem* pro ea, qua vixit, ætate *Polybius*. Nihil tamen inde lucrabitur Cl. *Voſſius*. Si enim *ſcivit*, *ſprevit* certe, *mendacemque* cenſuit. Hoc nos docent illius verba illa: [1] Τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Λιβύης, καθὸ συνάπτουσιν ἀλλήλαις περὶ τὴν Αἰθιοπίαν, οὐδεὶς ἔχει λέγειν ἀτρεκῶς ἕως τῶν ΚΑΘ ΗΜΑΣ καιρῶν, πότερον ἤπειρός ἐστι κατὰ τὸ συνεχὲς τὰ πρὸς τὴν μεσημβρίαν, ἢ θαλάττῃ περιέχεται. Τὸν αὐτὸν τρόπον τὸ μεταξὺ Τανάϊδος καὶ Νάρβωνος εἰς τὰς ἄρκτους ἀνῆκον, ἄγνωστον ἡμῖν ἕως τοῦ ΝΥΝ ἐστιν, ἐὰν μή τι μετὰ ταῦτα πολυπραγμονοῦντες ἱστορήσωμεν. Τοὺς δὲ λέγοντάς τι περὶ τούτων, ἢ γράφοντας, ἀγνοεῖν, καὶ ΜΥΘΟΥΣ διατιθέναι νομιστέον. Periplos hoc in loco *Africæ* damnat omnes, qualem hunc fuiſſe probavimus *Hannonis*.

1 *Polyb.* L. III. c. 38.

---

* F DISSER-

DISSERTATIO SECUNDA.

In qua ostenditur *Scylacem Polybio* coævum fuisse.

§. 1. *Alius* est à *Scylace Caryandensi Herodoteo* juniorum *Scylax Caryandensis.*

DE *Scylace Herodoteo*, fueritne hujus *Peripli* Auctor, miror fuisse qui vel *dubitarint.* Non opus erat Argumento *Vossiano* à *locis* illo *Scylace* recentioribus, ut alius esse vinceretur. Ut *loci* illi *nulli* unquam, vel à juniore aliquo *Interpolatore* fuissent; ipsum tamen Peripli hodierni *Argumentum* longe aliud est ab Argumento *Scylacis Herodotei.* Navigavit *Scylax* ille per *Indum* secundo fluvio [1] *Orientem* versus dum veniret in *Oceanum.* Tum deinde prora conversa versus *Occidentem*, ad illum usque locum, unde *Phœnicas Necos Ægyptiorum* Rex, oræ *Libyæ* maritimæ, quæ *Oceano* objecta est, lustrandæ gratia emiserat. Huc illum *tricesimo* demum *mense* appulisse scribit *Herodotus. Gangem* fuisse suspicor *fluvium* illum, qui ad *Orientem* decurrerit. [2] *Strabo* illum disertis verbis illis *Indiæ* fluviis accensuit, qui in illam plagam fluxerint. Οἱ δὲ (inquit) ἐπιστρέφονται πρὸς ἕω καθάπερ καὶ ὁ Γάγγης ποταμός. Quod de *Indo* falsissimum est. *Indum* propterea appellasse videtur quod *accolas* haberet *Indos.* Navigationis initium ab Urbe *Caspaturis* & terra *Pactuica* statuit *Herodotus.* Eadem *Urbs* illa fuisse videtur quam *Caspapyrum* appellat *Stephanus*, Urbemque *Gandaricam* fuisse dicit. Est ergo eadem regio *Pactuica Herodoti* cum ea quæ postea *Gandarica* appellatur, & *Gangi* vicina statuitur: proinde *Indus* illi *Ganges.* Alii enim erant ab his *Gandaridis* Γανδάριοι *Herodotei.* Finis Peripli erat in intimo sinu *Arabico.* Inde enim *Phœnicas* dimiserat [3] *Necos* ἐς τὰ ὀπίσω, ut *Libyam* ad *columnas* usque *Herculeas* circumnavigarent. Nempe posteaquam *canalem*, quem meditabatur à *Nilo* usque ad *Rubrum Mare*, Oraculi jussu intermisisset. Hi ergo hujus Navigationis *termini* erant, jussu *Darii Hystaspidis*, duce autem seniore illo *Scylace Caryandensi*, susceptæ. Sic autem è sinu *Gangetico* ad *Occidentem* deflexerint, & oras *maritimas* legentes (quod in Rei *Nauticæ* illa imperitia verisimillimum est) in sinum *Arabicum tricesimo* tan-

1 *Herodot.* L. IV. c. 44. 2 *Strab.* L. XV. p. 690. 3 *Herodot.* L. IV. c. 42.

dem

dem *mense* pervenerint. Non absimile est quod nos docent [1] *Sacræ Literæ*, *semel in annis tribus* navigationes suas peregisse, quos misit Rex *Solomon* eò unde *aurum* & *argentum* & *ebur* & *simias* & *pavos* ad illum retulerint. Nam & illos è Navalibus ejus in *Mari Rubro* progressos fuisse verisimillimum est, & ad partes *Indiæ Gangi* vicinas. Et sane manifestum est *finem* hujus Navigationis, cui præerat senior ille *Scylax Caryandensis*, committi ab *Herodoto* cum alia illa *Phœnicum*, jussu *Necos* peracta ad columnas *Herculeas*. Hoc ergo exemplo usus est impostor *Græcus*, qui susceptum auspiciis *Alexandri Magni* Periplum, cum Periplo alio *Carthaginiensium* jussu, duce autem *Hannone* suscepto, committendum existimavit, ut in superiori Dissertatione jam ostendimus. Oceanum ergo *Indicum*, & Mare *Erythræum*, non est egressus *superior* ille *Scylax*, cujus partem *nullam* attigit junior ille quem hodie usurpamus. Hujus ergo Periplum, non *nostrum*, advocavit [2] *Aristoteles* de moribus Regum *Indorum*. Hinc etiam hausta, quæ de *Sciapodibus* & *Macrocephalis* in *Indis* profert ex [3] *Scylace Philostratus*. Vel potius de *Sciapodibus* & *Monophthalmis*, ut in [4] *Tzetze* legitur, unde corrigendus est *Philostratus*. Nihil enim mirandum esset siqui homines *majori*, quam alii, *capite* reperirentur. Et *Macrocephalos* alibi habet [5] *Plinius*. Nescio tamen ipsumne viderit *Philostratus*, nedum *Tzetzes*; an potius ab *antiquiori* aliquo, qui viderit, acceperit. Jam enim diu est ex quo antiquior ille *Scylax* penitus interciderit. Nullas certas *nugas* istiusmodi in *Scylace* legimus *hodierno*. Et ne quidem *locum* nugarum illarum *Indiam*. Erat autem *antiquior* ille *Scylax* hoc ipso *fabularum* nomine infamis, ut ibidem observant *Philostratus* atque *Tzetzes*. Magis autem honorifice sensit de nostro [6] *Strabo*, cui tamen morem fuisse vidimus ut *fabulatores* contemneret. Satis hæc ostendunt male à V. Cl. *Vossio* Patre haberi nostrum pro *Scylacis* antiquioris *Epitomatore*, qui ne quidem in eodem cum illo versatur *Argumento*, nec communem habuit cum illo *mentiendi* libidinem.

§. 2. *Perierat* vetustior ille *Scylax* Noster autem pro eo à *junioribus* acceptus, qui *duos* fuisse *Scylaces Caryandenses* ignorabant.

Sed & *alium* ab *Herodoteo Scylacem* pro *antiquo* habent *Veteres*. Noster fuerit, necne, quem viderit *Strabo*, non tamen fuit ille, qui sub *Hystaspide* floruit omnium *antiquissimus*. Testem enim advocat illum ipse *Strabo* de locis in *Asia minore*, de quibus nihil prodiderat *Scylax Herodoteus*. Hunc tamen παλαιὸν συγγραφέα appellat *Strabo*. Sic autem loquitur de patria ejus *Caryandis*, quasi *unicum* nosset *Scylacem Caryandensem antiquitate*

1 II. Paralip. IX. 21. 2 *Aristot.* Politic. VII. 14. 3 *Philostratus* vita *Apollon.* L. III. 14. 4 *Joan. Tzetz.* Chiliad. VII. 5 *Plin.* N. H. VI. 4. 6 *Strab.* L. XIV. p. 658.

celebrem. Ita habent ejus verba: Ἐντεῦθεν δ' ἦν καὶ Σκύλαξ ὁ παλαιὸς συγγραφεύς. In eandem ſententiam *Stephanus*: Ἐντεῦθεν ἦν Σκύλαξ ὁ παλαιὸς λογογράφος. Verba ipſa *Strabonis* pene numeravit. Faciunt hæc ut ſuſpicemur, qui *Scylacem antiquis* accenſuerint, nihil de *duobus Scylacibus*, nedum de *tribus*, reſciviſſe. Hoc ſi verum fieri poteſt, ut illum quem terebant *Veteres* propterea pro *antiquo* habuerint, quod illum cum *antiquiore* illo *Hyſtaſpidis*, & vere antiquo, *Scylace* confuderint; unde ergo illa confundentium opinio? An exinde quod, cum utrumque Opus *Scylacis Caryandenſis* inſcriberetur, ita tandem factum ſit ut in *unum* idemque *Opus* utrumque tandem coaluerit? Atqui ita fuiſſe nullum habemus, vel leviſſimum veſtigium. Tantum abeſt ut quicquam *vetuſtioris Scylacis* Scylax hodiernus acceperit, ut ne quidem *Titulus* ipſe quicquam polliceatur de rebus *Indicis* aut Mari *Erythræo*, de quibus ſolis vetuſtiorem egiſſe probavimus. An ergo exinde, quod *vetuſtior* ille *Scylax* penitus interciderit? Ita fortaſſe contigerit. Unde ergo *vetuſtioris* quoque *Scylacis* tam frequens, etiam apud *juniores*, ut vidimus, memoria? Non, ut opinor, quod illum *ipſi* viderint; ſed quod ex *antiquiorum*, & *Scylace antiquiori* paulo juniorum Scriptis ea *Scylaci* tribuenda didicerint. Ætatis erat commune vitium, quod ſuperior ille *Scylax fabulis* addictus fuerit, ut jam alibi oſtendimus. Inde factum, ut tot fuerint, ſub *primis* quoque Ptolemæis *Mirabilium* collectores, *Theophraſtus*, *Antigonus Caryſtius*, atque *Callimachus*, &c. Ex his aliiſque (qui olim exſtabant hujus farinæ multi) multa poterant *vetuſtioris Scylacis* excerpere, etiam *juniores*. Non eſt ergo cur noſtrum, adeo quam habetur, *antiquum* exiſtimemus, quod illum *antiquum* appellarint qui *alium* eo antiquiorem fuiſſe *neſciebant*. Imo *ſuſpectam* ejus tantam, quanta ferebatur, *antiquitatem*, prodit incerti Scriptoris fragmentum, quod in hujus Operis fronte legimus. Is enim *Argumentis* antiquitatem illius aſtruit. Non certe ita facturus, niſi fuiſſent qui eam in *dubium* revocarint.

§. 3. Ex illo *errore* fluxit, quod *noſtrum* hunc Periplum *Dario* inſcriptum crediderint *recentiores*.

Imo hunc ipſum, quem habemus, Periplum *antiquiſſimo* illi *Scylaci* tribuiſſe videtur [1] *Ælius* ille, (quicunque demum is fuerit) *Dionyſius*. Hunc teſtem appellat [2] incertus Fragmenti Scriptor, ejuſdemque teſtimonio probat *Dario* cuidam fuiſſe nuncupatum. *Darium* non alium, ut opinor, intellexit quam *Hyſtaſpidem*, ut proinde de alio *Periplo* verum eſſe non potuerit quod teſtatus eſt, quam de *illo* omnium *antiquiſſimo*. Illum ſane veriſimile eſt *Principi*, cujus juſſu ſuſceptus eſt, fuiſſe inſcriptum. Sic enim *Hadriani* juſſu ſuſceptum Ponti *Euxini* Periplum *Hadriano* ipſi ſimiliter inſcripſit

1 Vide Teſtimonia de *Scylace*. 2 Inter Teſtimonia *Scylaci* præfixa.

Arrianus.

Arrianus. Pro exemplo, ut videtur, *antiquiorum* Periplorum *Principum* auſpiciis ſuſceptorum. Quod ſcilicet Peripli ſui *dux* fuiſſet, ut fuerat antiquiſſimi Peripli *dux Scylax Caryandenſis* antiquiſſimus. Sed vero in Periplo *noſtro* nullum prorſus eſt προσφωνήσεως veſtigium. Ne quidem quicquam eorum quæ cauſæ eſſe ſolebant cur *Principi* inſcriberetur. Nullus hic apparet Peripli *dux*: non verba loquentis in prima *Perſona*, è quibus colligeremus, fuiſſe *olim ducis* nomen, quod Librariorum neglectu vel Codicum mutilatione perierit. Ita potius hic concepta omnia videmus, quaſi à *ſtudioſo* aliquo è variis Periplis *excerpta* fuiſſent, quam ab ipſo Navigationis *duce* obſervata. Et tamen *noſtrum* certe Periplum intelligebat *Ælius* ille *Dionyſius*, qui tunc vixit cum *unicus* exſtaret *Scylax*, & vetuſtiſſimus ille *Scylax* jam diu intercidiſſet. Nulla certe mentio *illius* apud vetuſtiores: nulla in *Indicibus Plinii*: nulla in *Grammaticis Varronis* aut *Suetonii.* Erat fortaſſe qui de *Alexandria* ſcripſit, ipſe *Alexandrinus*, [1] *Chæremonis* diſcipulus, qui à *Nerone* ad *Trajanum* uſque varias obierit *legationes*, quique *Bibliothecæ* præfuit. Hujus forte *Ælii Dionyſii* τὰ περὶ Ἀττικῶν λέξεων advocat *Euſtathius* in *Dionyſ.* v. 912. Hunc certe *noſtrum* Periplum deſignavit, qui *Dionyſium* teſtem advocavit, incertus Auctor. Ait enim fuiſſe τοῦ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης τοῦ ἔνδον Ἡρακλείων στηλῶν. Ait illum τοῦ ἀγνοίας τοῦ πλεῖστον τόπων τὴν βραχυλογίαν, ὥσπερ ἀπολογίαν τινὰ πεποιῆσθαι. Non ergo *junioribus* illam ipſam debemus βραχυλογίαν, quos credidit præſtantiſſimus *Voſſius* Pater in *Epitomen* redegiſſe quæ ſtylo copioſiori primus exaraverit Peripli Auctor. Hoc certum eſt, *Scylaci Herodoteo* hæc convenire omnino non poſſe. Sed vero *alium* ab *Herodoteo Scylacem Caryandenſem* pluſquam *unicum* neminem novere poſteri. *Noſtrum* certe deſignavit [2] *Strabo* eo ipſo in loco quem in contrarium adduxit uterque *Voſſius.* Ait enim *Scylacem Troadis* initium ab *Abydo* cepiſſe. Sic noſter cum *Phrygiæ* ultimo loco *Abydum* recenſuiſſet, ita ſubjungit: Ἐντεῦθεν δὲ Τρῳὰς ἄρχεται, ut bene obſervavit ante nos *Gronovius.* Fine ſcilicet *Phrygiæ* excluſo, ut & in aliis Veterum ſententiis à *Strabone* memoratis. Sed locum alium [3] *Strabonis*, quo circa lacum *Aſcanium* habitaſſe prodiderat *Phrygas* atque *Myſos*, ubinam (inquies) in *Scylace hodierno* reperiemus? Non quidem in *Periplo*, quem nos *ſolum* habemus, mentio exſpectanda eſt lacus *Aſcanii* qui tam longe aberat ab ora *maritima.* Scripſit autem idem *Scylax Caryandenſis* Γῆς περίοδον, ut nos docet *Suidas.* Inde ea veriſimillimum eſt hauſiſſe *Strabonem.* Itaque hunc noſtrum *Periplum Scylaci Herodoteo* tribuit etiam *Strabo.*

1 *Suid.* Dionyſ. 2 *Strab.* L. XIII. p. 583. 3 *Strab.* L. XII. p. 566.

Sed

§. 4. *Alium*, præter *Herodoteum Scylacem Caryandensem*, neminem agnoscunt *Veteres* præter illum qui scripsit in *Polybium*. Is ergo Peripli nostri *Auctor* habendus est.

Sed vero alium ab *Herodoteo Scylacem Caryandensem* neminem memorant Veteres præter eum qui scripsit, teste *Suida*, in *Polybium*. Imo is fuerit oportet, si *unicus* fuerit post *Herodoteum Scylax Caryandensis*; & si quis eo *nomine*, eaque *patria*, Auctor stylum strinxerit in *Polybium*. Scripserat certe *Scylax* ille *Strabonis*, quem nos *alium* à *vetustissimo* fuisse probavimus, tam Maris Περίπλουν quam Γῆς Περίοδον. Plane ut scripsit *Scylax* ille junior, quem nos docet *Suidas* scripsisse in *Polybium*. *Scylacem* alium, qui sub *Dario* alio scripserit quam *Hystaspide*, unquam fuisse, nulla habemus Veterum *diserta* testimonia. Hunc tantum *ratiociniis* debemus incerti Scriptoris, qui *Alexandro M.* aliquanto *antiquiorem* fuisse probare conatur; & *Scylacis antiquioris* mentionem in *Ælio Dionysio* repererat, qui *Dario* opus inscripserit, quem quidem *Darium* ille *Hystaspidem* fuisse forte nescivit. Atqui *inscriptionis* illius *notam* ipse ne quidem in *coævo* sibi *Scylace* observaverat. Et tamen sine illa in contrarium potius procederet Argumentum, Opus ἀδέσποτον aliud fuisse ab eo quod *Dario* inscriptum observaverat *Ælius* ille *Dionysius*. Fallit certe hoc tantæ *Antiquitatis* Argumentum, quo idem credebatur cum *Scylace antiquissimo Herodoteo*. Fallit præterea ab eorum *veterum* testimonio ductum, qui *propterea* illum *antiquissimum* appellarunt, quod *eundem* cum alio illo crediderint *vere* antiquissimo. Itaque aliunde quærendum, ecquid habeat noster quod non conveniat cum ætate *Polybii*. Leve autem est, quod urget Anonymus, τὸ μήτε Ἀλέξανδρον εἰδέναι τὸν Μακεδόνων βασιλέα, μήτε τὸν ὀλίγον ἔμπροσθεν ἐκείνου τοῦ χρόνου. Nec enim *Principes* in hoc Periplo ullos memorat Auctor *Alexandro* etiam *antiquiores*, & ne quidem quicquam quod ad regionum à se memoratarum πολιτείαν attineret, sed oras tantummodo *maritimas*, Periplo lustrandas. Spectabant illa potius ad Γῆς περίοδον, siquid præter Urbium locorumque *nomina* vellet commemorare. Nihil ergo potest inde colligi quod ad Auctoris *ætatem* faciat. Nec enim *Cyri* meminit aut *Darii*. Perperam tamen inde *Cyro* antiquiorem fuisse colligeremus.

§. 5. Non potuit Maris *Mediterranei* Periplum scribere *Scylax*, si adeo fuisset, quam volunt, *antiquus*.

Atqui hoc fortasse non volebat Anonymus, propterea nostrum *Alexandro M.* aliisque *ante* Alexandrum Principibus antiquiorem fuisse, quod eorum neminem *Scylax* de *nomine* memorarit. Id potius autem in animo habebat, *locum* in hoc Periplo nullum occurrere, qui *ætatem* prodat *Alexandro parem*, aut paulo duntaxat *antiquiorem*. Hoc si verum esset, merito esset cur hunc ipsum nostrum *Scylacem*

Polybio

Polybio antiquiorem exiſtimaremus. Sed non eſt hoc adeo certum quam volebat Anonymus. Hoc ipſum certe quod Periplum *Maris Mediterranei* integrum profiteatur, alienum eſt à tanta ejus, quæ creditur, *antiquitate*. Sub *ſecundo* vixit *Ptolemæo Philadelpho Timoſthenes*, ſcripſitque *Periplum*, quem tanti fecit *Eratoſthenes* ut eum integrum exſcripſerit. Sed ne quidem de *Inſulis* ſcripſit accurate, nec plenum Maris *Tyrrhenici* Periplum abſolvit. Et loca omnia à *Carthagine* ad fretum *Herculeum* penitus ignoravit. Τὰ δὲ περὶ τὸν Ἡράκλειον πορθμὸν ἔτι τῆς καθ' ἡμᾶς ἔτι τῆς ἔξω θαλάσσης ἴσχυσεν γνῶναι, inquit [1] *Marcianus Heracleota*. Et rationem paulo ante dederat illam: ἔτι τῶν πλείστων τῆς θαλάσσης ἀγνοουμένων μερῶν, τῷ Ῥωμαίους μηδέπω πολέμῳ κεκρατηκέναι τούτων. Hic ſane videmus quouſque, ſub ſecundo *Ptolemæo*, progreſſa fuerat res *Geographica*, cum hoc *Timoſthenis* Periplo perfectius nihil ſciret coævorum monumentorum peritiſſimus *Eratoſthenes*. Imo ex *ratione* addita colligimus, de freto *Herculeo*, de ora *Hiſpaniæ maritima*, atque *Africana* à *Carthagine* uſque ad *Gades*, plenam nullam *Græcis* innotuiſſe *Geographiam*, dum *Romanorum* victoriis patefierent. Quod ſane factum auſpiciis *Scipionis Africani* majoris, adoleſcente *Polybio*. Non poterat ergo *antiquior* Polybio *Scylax* has oras adeo accurate deſcribere. Nec ſane *vera* hæc eſſe negat Anonymus. Sic enim habet: Τῶν δὲ πλείστων ἔτι μερῶν τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης, καὶ τῆς ἔνδον Ἡρακλείων στηλῶν θαλάσσης πέρα, τῶν [lege περάτων] πολλῶν ἀγνοουμένων, περίπλους ἀναγράψαι προείλετο. Τὰ μὲν γὰρ τῆς ἑώας Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν δῆλα τοῖς ἀνθρώποις πάντα κατέστησε· τὰ δὲ τῶν ἑσπερίων ἐθνῶν, ἡ Ῥωμαίων ἀνδρεία πολέμῳ τούτων κρατήσασα. Senſit Maris *Mediterranei* πέρατα, ex utraque parte, tam verſus *Orientem* quam *Occidentem*, nondum fuiſſe ea, quam *Scylaci* tribuit, ætate *Græcis* explorata. Idque propterea quod *Orientis* terminum aperuerit victoriis ſuis *Alexander M. Occidentis* autem *Romani* ſuis itidem victoriis. Huic ergo Argumento ut occurreret, obſervavit minus fuiſſe *Scylacem*, in his, quam in aliis quæ magis *Græcis* innotuerant, accuratum: nempe, ut opinor, quod in aliis locis civitates addiderit *Mediterraneas*, & *frequentiores* etiam quam hic fecerit, in ora quoque *maritima*. Sed & alia quoque ratio eſſe potuit cur ita fecerit: nempe quod *Græcas* præcipue Civitates obſervare in animo habuerit. Hoc ſane ejus conſilium in toto Opere manifeſtum eſt. Modum ergo propoſitæ *brevitatis* libentius in illis locis exceſſit, qui *Græcis* Urbibus fuiſſent frequentiores. Eſt tamen alioqui in *ſpatiis* locorum à ſe commemoratorum tam accuratus etiam in *Hiſpania*, quam in ipſa quoque *Græcia*. Hoc cum ne quidem *potuerit* aſſequi *Timoſthenes*; quanto minus ille *Scylax*, quem tanto *antiquiorem Timoſthene* exiſtimant? Porro

1. *Marcian.* p. 64.

hujus

hujus Observationis veritatem firmat Auctor gravissimus [1] *Polybius*. Ait enim *superiore tempore paucos Græcorum* fuisse *qui extrema Orbis curiosius investigare aggrederentur*. Addit etiam, cur non fuerint aggressi, causam, τὸ τῆς ἐπιβολῆς ἀδύνατον. Nempe *quod maria navigantibus multa pericula impendebant*, *& multo etiam plura terra euntibus*. Quod multorum locorum *barbaries* αὐτοψίαν prohiberet; & *linguarum diversitas* impediret quo minus ab incolis discerent quæ fuerant observatu digna. Et quod rarissimum esset, illis præsertim temporibus, testem reperire, *qui spretis miraculorum figmentis ac portentis, ipsam propter se veritatem anteponeret falso*; *& res, uti erant, narraret*; *neque de suo quicquam adderet*. Denique concludit, sua demum ætate, ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς, contigisse, ut *res Asianæ per Alexandri dominatum, reliquæ autem orbis partes per Romanorum imperium terra marique paterent*. Maxime propter illam, quæ tunc vigebat, pacem. Tum enim *soluti curis, tam bellicis quam civilibus, viri* πραγματικοὶ otium habebant *diligentius atque exactius de rebus illis inquirendi*. Memorat porro & *suam* quoque operam ipse *Polybius*, sua *pericula*, suos *labores* in *peregrinatione Africæ, Hispaniæ, & Galliæ, marisque, qua has regiones alluebat, etiam externi*. ἵνα διορθωσάμενοι τὴν τῶν προγεγονότων ἄγνοιαν ἐν τούτοις, γνώριμα ποιήσωμεν τοῖς Ἕλλησι καὶ ταῦτα τὰ μέρη τῆς οἰκουμένης. Ita *Polybius*. Et sane illum inter Geographiæ *excultores* sæpe recenset *Strabo*. Non potuit ergo has partes adeo accurate describere *Scylax*, si fuisset antiquior ipso *Polybio*.

§. 6. *Emporia Carthaginiensium in Hispania recentiora illis temporibus, quibus volunt scripsisse Scylacem.*

Memorat præterea noster, ultra columnas *Herculeas*, & proinde in ora *Hispaniæ* illa quæ objicitur [2] *Oceano*, ἐμπόρια πολλὰ Καρχηδονίων. Vix est cur dubitemus quin *Turdetaniam* intellexerit, quæ regio erat *Hispaniæ* florentissima, & proinde *Emporiis* aptissima. Non poterant autem illa constitui *Emporia* antea quam *armis* eam Provinciam in suam potestatem redegissent *Carthaginienses*. Antea oram illam *Emporiis* occupaverint *Phœnices Tyrii*, qui etiam in intima *Hispaniæ* penetraverant. *Vettones* enim ab illis oriundos recepta erat posterorum fama. Sed vero *Hispaniæ* partem nullam illis temporibus *Alexandro* antiquioribus *Carthaginienses* possedisse verisimile est. Fateor equidem ante Bellum *Punicum* I^m^, τῆς Ἰβηρίας πολλὰ μέρη Carthaginiensibus subjecta agnoscere [3] *Polybium*, Inde ergo idem testatur, illo ipso Bello, etiam Ἴβηρας in [4] *Siciliam* missos. Proinde *Amilcarem Barcam Annibalis* patrem ἀνακτᾶσθαι τὰ κατὰ Ἰβηρίαν πράγματα τοῖς Καρχηδονίοις non κτᾶσθαι scribit ipse [5] *Polybius*. Non tamen ita intelligendus,

1 *Polyb.* L. III. c. 58, 59. 2 P. 1. 3 *Polyb.* L. I. c. 10. 4 *Polyb.* ib. c. 17. 5 *Polyb.* L. II. c. 1.

quasi

quaſi nihil eorum *avitis* poſſeſſionibus addidiſſet. Imo idem ſubjungit πολλὰς μὲν πολέμῳ, πολλὰς δὲ πειθοῖ *Carthaginienſibus ſubjeciſſe.* Imo *auctum* ab eo in *Hiſpania Punicum Imperium* teſtatur diſerte [1] *Livius*. Et *Turditaniam* ab eo victam eſſe, ita ut tum primum ceſſerit in ditionem *Carthaginienſium*, diſcimus è [2] *Strabone*. Ait enim ϛρατεύσαντας cum eo *Carthaginienſes Turditanos argenteis præſepibus & doliis uſos deprehendiſſe*. Erant ergo in eorum numero *Turditani* quos non πειθοῖ, ſed πολέμῳ, in partes *Carthaginienſium* coëgerit, quique *inviti* Carthaginienſium jugum ſubierint. Quomodo ergo nondum domiti *Carthaginienſium* paterentur *Emporia*? Imo *tum demum* obſervatum hoc à *Carthaginienſibus* ſcribit è rerum *Punicarum* Scriptoribus. Quod fieri non potuit, ſi jam olim *Turditanorum* commerciis & Emporiis *Carthaginienſes* aſſueviſſent. Hæc ergo ſcribere ne quidem potuit noſter ante annum *Varronian.* 516, *Olymp.* CXXXV, $\frac{2}{3}$, quo Expeditionem illam in *Hiſpaniam* fecit *Amilcar*. Imo *poſt* annum illum *Emporia* illa conſtituta fuiſſe veriſimillimum eſt: antea tamen quam *Hiſpaniæ* poſſeſſione omni pellerentur à *Scipione Africano* majore. Quod factum anno *Varr.* 548, *Olymp.* CXLIII, $\frac{2}{3}$. Poſtea poterant victorum benignitate *Emporia* conſtituta *retinere*, non autem alia de novo *condere*.

§. 7. Κελτοὶ ἀπολειφθέντες τῆς ϛρατείας paulo antiquiores *Polybio*.

Quod porro *Tyrrhenos* à mari *Tyrrheno* porrigat uſque ad [3] *Adriaticum*, quanquam Cl. *Gronovio* alienum videatur à temporibus *Polybii*, non eſt tamen ſi penitius expendatur. Imo his magis congruunt quam aliis illis, quæ volunt, *Scylacis* temporibus antiquioribus. Certe quo loco loquitur *Polybius* de ſui temporis *Hetruria*, ita plane loquitur ut coævus illi *Scylax*. Sic enim habet: [4] Ἑξῆς δὲ Τυῤῥηνοί· τούτοις δὲ συνεχεῖς ἑκάτερον τὸ κλίμα νέμονται τῶν προειρημένων ὀρῶν Ὄμβροι. Confert ſcilicet continuatque invicem *Ligures Hetruſcos* atque *Umbros*, quaſi ex *utraque* montium *Apenninorum* parte incolentes. Et tamen *Umbros* pariter ac *Hetruſcos* à *Gallis* finibus ſuis expulſos ſcribit [5] *Livius*. Non quidem ait *Polybius* illos ad mare *Adriaticum* pertigiſſe: in ipſa tamen *Padi* planitie illos ponit, unde fuerant à *Gallis* fugati. Erat enim illius *planitiei* limes *Apenninus*. Et certe ad *orientem Apennini* potiſſimum incolebant *Umbri*. Nec ſane *Gallos* ita excludit *Italia Scylax*, quinetiam illis in intimo *Adriæ* receſſu ſedes concedat poſt *Tyrrhenos*. Sic enim ait: Μετὰ δὲ Τυῤῥηνοὺς εἰσὶ Κελτοὶ ἔθνος ἀπολειφθέντες τῆς ϛρατείας ἐπὶ ϛενῶν μέχρι Ἀδρίου. Hæc autem verba ἀπολειφθέντες ϛρατείας nondum video obſervaſſe *Scylacis* Interpretes,

1 *Liv.* L. XXI. c. 2. 2 *Strab.* L. III. p. 151. 3 P. 6. 4 *Polyb.* L. II. c. 16.
5 *Liv.* L. V. c. 35.

terpretes, nec intellexisse quid sibi vellent. Et tamen ex illis, ni fallor, pendet designatio *temporis*, quo tanta illa rerum *Gallicarum* facta est conversio, ut sedes à *Gallis* possessæ jam rursus *avitis* possessoribus *Hetruscis* atque *Umbris* adscriberentur. Spectant ergo, ut existimo, ad annum illum, quo à *Gallis Cisalpinis* fere omnibus conjuratum est in *Romanos*, accitis etiam *Transalpinis*. Tunc enim de *Venetis* & *Cenomanis* ita [1] *Polybius*. Οἱ δὲ Οὐενετοὶ καὶ Κενομάνοι, διαπρεσβευσαμένων Ῥωμαίων, τούτοις εἵλοντο συμμαχεῖν. Nam certe *Venetos* communi *Gallorum*, vel *Celtarum*, nomine complectitur *Polybius*. Sic enim alibi : [2] Τὰ δὲ πρὸς τὸν Ἀδρίαν ἤδη προσήκοντα γένος ἄλλο πάνυ παλαιὸν διακατέχει. Προσαγορεύονται δὲ Οὐενετοί, τοῖς ἔθεσι καὶ τῷ κόσμῳ βραχὺ διαφέροντες Κελτῶν, γλώττῃ δ' ἀλλοίᾳ χρώμενοι. Ponit eodem, quo & *Venetos* suos *Scylax*, situ, & proximos facit *Cenomanis*. *Celtas* autem *Scylax* à *Venetis* distinguit. Proinde *Celtarum* nomine potius intelligit *Cenomanos*, ipsos quoque *Venetis* finitimos. Ut proinde vix sit cur dubitemus quin hos ipsos habuerit in animo *Scylax*. Recte nimirum appellandos ἀποληφθέντας τῆς στρατείας, quod communi illi *Gallici* nominis in *Romanos* expeditioni *soli* non consenserint. Hanc ergo gratiam à *Romanis* relatam arbitror, ut, Bello profligato, ipsi soli in sedibus suis *remanserint*. Eo enim certe spectabat Bellum illud, ut pellerentur è victis à seditionibus *Galli*. Primam Bello occasionem dedit [3] *Sena*, colonia in agro *Gallorum Senonum* victorum pulsorumque condita. Anno scilicet *Varr*. 471, *Olymp*. CXXIV, $\frac{1}{2}$. Inde novi motus à *Boiis* (accitis in auxilium *Hetruscis*) metuentibus περὶ σφῶν καὶ τῆς χώρας μὴ πάθωσι τὸ παραπλήσιον, idem inquit *Polybius*. Repressi tamen etiam hi ad lacum *Vadimonis*. Inde *Pax* annorum 45, ad annum *Varr*. 516, *Olymp*. CXXXV, $\frac{2}{3}$. Anno autem *Varr*. 518, *Boiis* pax concessa, sed *agri* parte multatis, ut docet *Zonaras*. Tum deinde anno, post prædictum annum 45^m quinto, [4] novi *Gallorum* motus, propter agrum *Picenum*, quem *Gallis Senonibus* ademerant, rogatu *Flaminii* Tribuni, populo divisum: nempe anno *Varr*. 421, *Olymp*. CXXXVI, $\frac{3}{4}$. Metuebant præsertim *Boii*, quippe *Romanis* contermini, videntes jam non de *Imperio* ac *dominatione* esse certamen, ἀλλ' ὑπὲρ ὁλοσχεροῦς ἐξαναστάσεως καὶ καταφθορᾶς. [5] Itaque VIII° inde anno, *Varr*. 429, Bellum illud denuo instauratum est à *Boiis* & *Insubribus*, quo *Cenomanos* & *Venetos Romanis* favisse diximus. Victi tum ingenti prœlio à Consule *Æmilio*. Anno sequenti, spem *Romanis* fuisse ait [6] *Polybius*, δυνήσεσθαι τοὺς Κελτοὺς ἐκ τῶν τόπων τῶν περὶ τὸν Πάδον ὁλοσχερῶς ἐκβαλεῖν. Hinc etiam constat, id egisse *Romanos* hoc toto Bello, ut *Gallos*

1 *Polyb*. L. II. c. 23. 2 *Polyb*. L. II. c. 17. 3 *Polyb*. L. II. c. 20. 4 C. 21. 5 C. 23. 6 C. 31.

penitus

penitus è *Circumpadanis* regionibus ejicerent. Cum ergo Bellum pro voto confecerint, non eſt cur dubitemus quin *ejecerint*. Convenit, quod ſub *Coſſ.* anni *Varr.* 531, *Olymp.* CXXXIX, $\frac{1}{2}$, narrat *Polybius* de *Inſulribus Tranſpadanis*: [1] σπεισάμενοι καθ' ὁμολογίαν, ἐξέλυσαν ἐκ τῶν τόπων. Convenit, quod anno ſequenti *Varr.* 532, *Olymp.* CXXXIX, $\frac{2}{3}$, Belli illius ultimo, teſtatur idem [2] *Polybius* illos ἐκ τῶν περὶ τὸν Πάδον πεδίων ἐξωσθέντας, πλὴν ὀλίγων τόπων τῶν ὑπ' αὐτὰς τὰς Ἄλπεις κειμένων. Convenit præterea, quod in utramque *Padi* partem tot deinde *colonias Romani* deduxerint. Eò enim *primam coloniam* ſpectaſſe vidimus, ut *terræ* à *coloniis* poſſeſſæ priſtinis poſſeſſoribus *adimerentur*. Itaque jam ante *Polybium* exuti ſunt omni illa *Circumpadana* regione *Galli*. Nec eſt quod miremur ſi ademtas *Tyrrhenis Umbriſque* colonias regioneſque *Romani* maxima ex parte reſtituerint. Stabant enim utrique [3] in hoc Bello à partibus *Romanorum*. Et *prædam* quoque à loco prœlii [4] *Hetruſcis* ademtam, ſimiliter Dominis priſtinis reddendam curabant. Ita conveniet cum *Polybio* examuſſim *Scylax*, ut ne quidem potuerit anno U. C. *Varr.* 532 fuiſſe antiquior. Quod ſi redditæ fuerint *Hetruſcis* antiquæ eorum *coloniæ*, ita neceſſe erat ut ad mare *Adriaticum* pertigerint, cum in illarum coloniarum numero ipſa fuerit *Adria*, à qua nomen ortum eſt Maris *Adriatici*. Ita certe veterem illorum ditionem deſignat [5] *Livius*, ut noſter quoque *Scylax*, ut *quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum* (inquit) *circumcolunt maris*, *uſque ad Alpes*, *tenuerint*. Nec alienum erat hoc à *Romanorum* indole, ut *ſociis* magis quam *ſibi* vincerent. Illuſtria hujus munificentiæ ſpecimina ediderunt Bellis in *Philippum* & *Antiochum*. Et vero in hoc adverſus *Gallos* Bello egregia erant *Italorum* ſociorum *omnium* benevolentiæ experimenta. Non tamen hoc obſtabat, quo minus *victoribus* ipſis ſuæ quoque partes fuerint in victoriæ *fructibus*, quæ locum fecerint tot novis *Romanorum* in *Gallia Circumpadana* coloniis. Et ne quidem illud obſtabat, quo minus reſtauratis in jura priſtina regionibus *nomina* tamen dederint *aviti* poſſeſſores.

§. 8. *Leucadem inſulam* memorat *Scylax*, qualis facta eſt ſub *ſecundo* demum *Philippo Macedone*.

Eandem *Scylacis* ætatem adſtruunt verba ejus illa de [6] *Leucade*: Αὕτη δ' ἐστὶ νῦν νῆσος τὸν Ἰσθμὸν ἀποτετειφρευμένη. Hanc putat [7] *Strabo Nericon* fuiſſe, quam ἀκτὴν ἠπείροιο appellat [8] *Homerus*. Tum proinde nondum *inſulam*, ſed *peninſulam*. Imo diu poſt *Homerum*, cum *Leucadis* nomen adepta eſſet, adhuc *Iſthmo* continenti annexa eſt. Certe

1 *Polyb.* L. II. c. 32. 2 C. 35. 3 C. 24. 4 C. 31. 5 *Liv.* L. V. c. 33. 6 *Scyl.* p. 13. 7 *Strab.* L. I. p. 59. L. X. p. 452. 8 *Homer.* Odyſſ. v. 376.

tempore Belli *Peloponnesiaci*, bis *Isthmi* meminit [1] *Thucydides*, ann. *Belli* VIº, & VIIº: nempe ann. *Varron*. 328, & 329. Imo adhuc eo anno, quo debellatum est cum *Philippo*, *Varroniano* scilicet 557, *peninsulam* fuisse docet [2] *Livius* in Fragmento *Horrionis*. Ego tum demum insulam factam fuisse suspicor, cum *Romani Leucadem* à Concilio [3] *Acarnanum* eximerent. Quod factum anno *Varroniano* 587, cum jam redactus esset in Populi *Romani* potestatem *Perseus*, propter factionem inter *Acarnanas*, quæ *Romanis* adversa *Perseo* favebat. Tunc enim sane opportunum erat, ut, *sui* demum *juris* facti, sese alveo illo fossili in *Acarnanas* tuerentur. Scripsit ergo post illum annum *Scylax*, ut proinde ne quidem potuerit antiquior esse *Polybio*. Habent certe illam pro *insula* [4] *Ovidius*, & *Livius*, & *Strabo*. Tandem *Romanos* illam *Corinthiis* ademisse, *Acarnanibus* autem reddidisse tradit [5] *Dionysius Halicarnasseus*. Id cum eveniret, jam *diruta* fuisse munimenta consentaneum erat, quibus à reliquo *Acarnanum* corpore separabantur: imo cum jam incolæ ipsi etiam essent *Acarnanes*. Inde factum, ut neglectum deinde *alveum* venti obstruxerint, & continenti junctam *insulam* rursus *peninsulam* fecerint. Talem sua tandem ætate fuisse docet [6] *Plinius*. Medio ergo tempore inter *Tiberium* & *Vespasianum*, *Corinthiis* ademit, *Acarnanibus* reddidit aliquis *Imperator*. Hæc quidem *vera* esse Ego crederem, si quidem *vera* scripserit illo in loco *Livius*. Sed turbat, fateor, rationes nostras *Polybius*, melior *Livio* testis, propiorque temporibus *Philippi*. Is tamen anno *Varr.* 536, *Olymp.* CXL, $\frac{2}{3}$, *Dioryctum* (sic autem *alveus* fossilis, teste *Plinio*, appellabatur) diserte memorat, trajectasque per illum naves. Sic enim habet de *Philippo Macedonum* Rege: [7] Αὐτὸς δ' ἀναχθεὶς ἐκ τῆς Κεφαλληνίας, δευτεραῖος εἰς Λευκάδα μετὰ τὸ στίλβειν νυκτὸς ἧκε. Εὐτρεπισάμενος δὲ τὰ περὶ τὸν Διόρυκτον, καὶ ταύτῃ διακομίσας τὰς ναῦς, ἐποιεῖτο τὸν ἐπίπλουν κατὰ τὸν Ἀμβρακικὸν καλούμενον κόλπον. Fieri autem potest, ut, cum legisset *Livius* initio *Philippi* factum illum *alveum*, è vitioso *ratiocinio* ille ad finem retulerit. Ita certe loquitur hoc in loco *Polybius*, quasi vixdum alveus ille penitus fuisset *purgatus*. Erat enim antea *parandus*, quam *naves* illac *Philippus* potuerit trajicere. Et fortasse propter *novitatem* alvei illac trajiciendum censuit *Philippus*, ut *inopinato* adventu hostes opprimeret. Non potuit autem hostes *fallere*, si jam *antea* usurpata fuisset illa trajectio. Hoc si verum, ita saltem *Philippo* hoc *Persei* patre non potuit antiquior esse *Scylax*; nec proinde idem cum illo fuisse, quem *alium* à *nostro* docti hactenus existimarunt.

1 *Thucyd.* L. III. c. 94. L. IV. c 8. 2 *Liv.* L. XXXIII. c. 17. Edit. *Gronov.*
3 *Liv.* L. XLV. c. 31. 4 *Ovid.* Metam. XV. 5 *Dionys.* Hal. L. I. p. 41.
6 *Plin.* N. H. IV. I. 7 *Polyb.* L. V. c. 5.

Memorat

Memorat præterea noſter Urbem [1] *Meſſenen* in regione *Peloponneſi Meſſenia.* Eam autem *jamdiu* ante tempora *Scylacis* etiam *antiquiſſimi* dirutam reſtauravit *Olymp.*CII^æ^ 4to anno *Epaminondas,* teſte *Diodoro.* Non me quidem fugit de *lectione* litem movere doctiſſimum *Palmerium.* Quia ſcilicet ab *Arcadia,* cujus *ultimo* loco meminerat, *πρώτην* ait fuiſſe *Meſſenen.* Idem tamen *Palmerius* in *Lacedæmone* tam craſſum *ordinis* neglectum obſervavit, ut crediderit illum, utpote *Aſianum,* in *Peloponneſi* Geographia non fuiſſe ſatis doctum. Sed nihil eſt neceſſe ut eò confugeret. Facile enim obſervare potuit, in *Peloponneſo Scylacem* Urbes inſignes, nulla prorſus habita *ſitus* ratione, ut animo ejus occurrebant, recenſere. Nec ad *ſitum* ſpectabat vox illa *πρώτη,* ſed ad Urbis potius *dignitatem.* Quod ſcilicet *Urbs* ipſa *Meſſene* regionis eſſet *Meſſeniæ primaria.* Ita nulla prorſus erit ratio, cur de *lectione* dubitetur. Tum vero deſierat in *vivis* eſſe *Darius Nothus,* cui *ſecundum* illum, quem fingunt, *Scylacem* Periplum ſuum inſcripſiſſe volunt. Ita nullum erit ab *Olynthi* mentione Argumentum, cum vel ex hac *Meſſenes* mentione conſtet noſtrum *Olynthi* clade fuiſſe juniorem. Hinc certo conſtat, *Scylacem* noſtrum non eſſe antiquiorem *Epaminonda,* ut vult Cl. *Gronovius*; nec tale quid è mentione *Thebarum* ſub *τείχους* nomine eſſe colligendum.

§. 9. *Meſſenes* Urbis mentio illum arguit ſaltem *juniorem* fuiſſe *Epaminonda.*

Hos ergo limites poſuimus ætatis, qua ſcripſit *Scylax,* ne potuerit adeo, quam vulgo creditur, fuiſſe *vetuſtus.* Nunc viceverſa, limites alii ſtatuendi erunt, quibus non potuerit fuiſſe *recentior.* Certe [2] *Corinthum* & [3] *Carthaginem* ita memorat quaſi *etiamnum* floruerint. Proinde ante annum U. C. 608^m^ *Varronianum* ſcripſiſſe neceſſe eſt, quo utraque *exciſa* eſt: *Corinthus* à *Mummio Achaico, Carthago* à *Scipione Æmiliano.* Non potuit certe reſtaurationem utriuſque Urbis ſub *Julio Cæſare* attigiſſe, quem adeo antiquum credidit *Strabo.*

§. 10. E mentione *Corinthi* & *Carthaginis,* colligitur anno *Varr.* 608 ne quidem potuiſſe eſſe *juniorem.*

Nota autem *antiquitatis* omnium *altiſſima* eſt, quod [4] *Cii* Urbis *Scylax* noſter mentionem fecerit in *Myſia*: utique nondum, cum ſcriberet Auctor, *exciſæ.* Sic item ſcribit Scholiaſtes *Apollonii Rhodii,* quaſi etiam in *coævo* ſibi *Scylace* hoc idem reperiſſet. Non quidem hoc verbis aſſerit *expreſſis,* ſed ſaltem videtur *innuere.* Meminit enim & ipſe Urbis *Cii,* & de *Cio* fluvio teſtem advocat *Scylacem.* Sed vero *Cium* hanc

§. 11. Meminit idem *Scylax* Urbis *Cii,* à *Philippo Macedone* anno *Varr.* 553 *exciſa,* poſtea vero à *Pruſia Bithyniæ* Rege ſub novo *Pruſiadis* nomine *reſtaurata.*

1 *Scyl.* p. 16. 2 *Scyl.* p. 15, 21. 3 *Scyl.* p. 47, 50, 51. 4 *Scyl.* p. 35.

eandem

eandem fuisse *Urbem*, quæ postea a *Prusia Bithyniæ* Rege nomen acceperit *Prusiadis*, observavit Cl. *Vossius*. Nec alius erat ille certe *Prusias* à filio *Zelæ*. Illum enim ipsum *Prusiam Zelæ* filium, *Romanorum* abjectissimum adulatorem, *Prusiadis* conditorem fuisse docet [1] *Strabo*. Scripsit ergo certe noster ante mortem *Prusiæ*, qui antea decessit quam dirueretur *Carthago*: imo etiamnum superstite *Cio*, nondum Urbis nomine *mutato*. Proinde ante obitum *Philippi Macedonis*, quem *Strabo* testatur *excisam* à se *Cium Prusiæ* genero *donasse*. Decessit autem [2] *Philippus* ille anno *Varron.* 575, *Olymp.* CL, ½. Imo annum ipsum cladis *Cianæ* docuit [3] *Polybius*: illum scilicet, quo *Pax* data est *Carthaginiensibus*, secundo in illos Bello profligato: nempe *Varr.* 553, *Olymp.* CXLIV, ¾. Quare *ante* hunc annum scripserit oportet *Scylax*, si quidem ipse sibi explorata scripserit. Hoc si verum esset, vix potuit idem esse qui scripsit in *Polybium*. *Senex* enim ipse *Polybius* se ad scribendam *Historiam* accinxit. Historiam certe ad Belli *Punici tertii* & *Achaici* finem perduxit, ut ipse [4] in Opere nondum affecto profitetur. Quantum temporis in ipsa *scriptionis* opera collocarit, non habemus exploratum. Itaque ante ann. *Varr.* 608, ne quidem *potuit* illum oppugnare *Scylax*: fortasse ne tum quidem. Is autem erat annus ab excidio *Cii* 55. Si fuisset, cum *Periplum* exararet vel *vicenarius*, tunc annum attigerit *ætatis* LXXVm. Sed paulo ante *Cii* excidium scripserit illa oportet Auctor: nec statim ab *Historiæ* fine *Historiam absolvere* potuit, & in *lucem* edere, *Polybius*; nec rursus mox ab *Editione* potuit legere *Scylax*. Ut proinde vix *octuagenario* minor esse potuerit *Scylax*, cum *Polybium* refutaret. Parum hæc fortasse *commoda* videri poterunt; non tamen quæ evenirent prorsus *impossibilia*. Sed *Cium* à *Prusa* perspicue distinguit *Plinius*, l. v. c. 32; & merito distinguendam esse docet ad *Stephanum*, verbo Πρῦσα, Cl. *Holstenius*. Quare minus certum est illud Argumentum, utcunque illi faverint nonnulli etiam è *Veteribus*. Itaque aliunde explorandum est, itane se res habuerit? Erat quidem nota illa *recentior* pulsis ex *Italia Gallis*.

§. 12. *Tyri* meminit *Scylax* sub *insula* nomine, quæ tamen ab *Alexandro M.* facta est *peninsula*.

Non tamen adeo commode convenit cum *alia* illa, quam dedimus, nota excultæ partium *Occidentalium Geographiæ*. Ipso enim illo *anno*, quo Bello *Punico* 2o finem imposuit *Scipio Africanus* major, *Cium* excidit *Philippus Macedo*. Sed *suis* temporibus, sed *Paci* quæ Bellum illud *secuta* est, accuratam illam partium freto *Herculeo* adjacentium notitiam acceptam refert, uti vidimus, *Polybius*, cum jam

1 *Strab.* L. XII. p. 563. 2 *Liv.* L. XL. c. 54. 3 *Polyb.* Excerpt. L. XV. 21.
4 *Polyb.* L. III. c. 5.

otium

otium esset à curis *Bellicis*, & *Pax* stabilita liberum *commercium* aperuisset. Sequebatur autem mox à *Bello* illo *novum Bellum* cum *Philippo*, tum deinde cum *Antiocho*, denique cum *Perseo*. Mitto enim *minoris* momenti Bella, quæ peregrinandi, & studia Pacis excolendi aviditatem non adeo impedirent. Ita certe ante annum U. C. *Varr*. 586, quo debellatum cum *Perseo*, vix potuit *Scylax* adeo accurate scribere de oris *Occidentalibus*. Imo ne *tum* quidem potuit ea *explorata* habere, quæ *primus* docuit novis suis navigationibus ipse *Polybius*, quem, *Scipione Æmiliano res in Africa gerente*, testatur navigasse [1] *Plinius*. Atqui de *Hispania* ipsa scribit noster [2] *Scylax* pro ipsius mente *Polybii*. *Hispaniam* universam ut [3] *Polybius*, ita etiam *Scylax*, communi *Iberiæ* nomine complectitur, à freto etiam *Gaditano*. Sunt ergo in hoc Opere notæ temporum *diversorum*, nec sibi invicem consentaneorum. Occurrit & aliud simile exemplum in mentione Urbis *Tyri*: [4] Αὕτη (inquit) ἡ νῆσος βασίλεια Τυρίων [sic recte junior *Vossius*] καὶ ἀπέχει στάδια ἀπὸ θαλάττης γ'. Hæc certe *Urbs* erat ab *Alexandro* Magno expugnata, & per *aggerem* ab ipso factum annexa *continenti*. Eam βασίλειαν appellat *Scylax*, quod, cum *Regibus* pareret ditio *Tyriorum*, Urbs illa fuisset *Regia*. Duplicem hoc in loco notam habemus temporum *Alexandro* antiquiorum. Aliam, quod esset jam adhuc *insula*, cum *peninsulam* illam ipse fecerit *Alexander*, testibus omnibus qui de ea obsidione egerint. Imo adhuc *suis temporibus* adjunctam *continenti* perstitisse testantur [5] *Strabo* atque [6] *Plinius*. Est & alia nota, quod adhuc *Regibus* paruerit *Tyrus*, cum Urbs illa esset *Regia*. Erant enim olim sub *Regibus* *Tyrii*, quorum successionem pertexuit *Menander Pergamenus*. Imo cum eam expugnaret *Alexander*, adhuc *Regem* agnovit, & *stirpem Regiam*. Ex illa *stirpe* suffecit quidem *Regem* ipse *Alexander*, quæ tamen brevi postea defecit. Nam *Olymp*. CXIV, 3, sub *præfecto* fuisse *Macedone* testatur *Diodorus*. Nec postea *Reges Tyriorum* ullos, quod sciam, legimus, nec *Macedonibus* rerum potientibus, nec *Romanis*. Hæc ergo Auctoris fuisse necesse qui scripserit ante annum Period. *Julian*. 4382, *Varr*. 422, *Olymp*. CXII^e^ ann. I^m^ *ineuntem*, quo *Tyrum Alexander* expugnavit. Et tamen multo *recentiorum* temporum notas in ipso jam *Scylace* observavimus, quibus ipsum scripsisse propterea necesse sit.

§. 13. Hunc *Periplum* non ipse navigavit *Scylax*, sed ex aliis *singularum partium* inter se commissis *Periplis* pro *Mari Mediterraneo universo* ipse confecit.

Ex his tamen longe invicem *distantibus* Temporum notis colligimus, non *unius* ejusdemque *fili* hunc nostrum esse *Periplum*, sed è variis diversorumque *temporum* singularum regionum *Periplis* integrum hunc *Maris Mediterranei* Periplum à *Scylace* esse consarci-

1 *Plin*. N H. V. 1. 2 *Scyl*. p. 1. 3 *Polyb*. L. III. c 37. 4 *Scyl*. p. 42.
5 *Strab*. L. XVI. p. 757. 6 *Plin*. N. H. V. 19.

natum.

natum. Idque ſane aliunde etiam verum eſſe conſtat. In aliis regionibus *diurnis nocturniſque* ſpatiis navigationes emetitur, in aliis per *ſtadia*. Scio quidem à [1] *Marciano Heracleota Scylacem* illis accenſeri qui *dierum noctiumque* ſpatiis tantummodo, non item *ſtadiis*, navigationum intervalla diſtinxerint. Num ergo *alio Scylace* uſum *Marcianum* exiſtimabimus? Non puto. Cur ita fuerit locutus *Marcianus*, exponit ipſe *Scylax*. In fine enim [2] *Europæ* methodum docet, qua ſint ad *noctium dierumque* ſupputationem revocanda *ſtadia*. Eademque methodo procedendum eſſe monet in fine [3] *Aſiæ* atque [4] *Libyæ*. Inde manifeſtum eſt, Periplum *univerſum* ab illo ad *diurna* ac *nocturna* ſpatia eſſe redactum. Ut recte proinde *Marcianus* illum inter eos numerarit, qui non *ſtadiis* Periplos ſuos, ſed *diurnis nocturniſque* itineribus metirentur: quod ſcilicet *ſtadia* ipſa ad *diurna* & *nocturna* ſpatia redegerit. Hinc tamen viciſſim manifeſtum eſt, jam *Scylacis* etiam *ætate* morem fuiſſe nonnullis, ut per *ſtadia* Periplos ſuos metirentur; & proinde *Timoſthene* illum fuiſſe recentiorem. Sic etiam in aliis regionibus, oras tantummodo (pro *Peripli* officio) percurrit *maritimas*; in aliis *Urbes* immiſcuerit *Mediterraneas*. Sic & in aliis *ſitus* ordinem obſervavit accuratiſſime; in aliis *ordinis* rationem habuit plane nullam. Nonnunquam *mores* regionum, & *viros* etiam celebres deſignat, quos tamen plerumque nullos attingit, ne quidem in *patriis* omnium *celeberrimis*, & bonorum exemplorum proventu *refertiſſimis*. Unde, quæſo, tam *varia* illa *methodorum* diverſitas, niſi à *Periplorum*, quos in *ſingulis* partibus excerpſit, diverſitate? Inde tanta illa diverſarum hujus Peripli *partium* invicem diſcrimina. Sunt enim aliæ aliis longe *accuratiores*: pro captu ſcilicet *Auctorum*, quorum alii aliis fuerint *peritiores*. Valde autem eò faciebat *ætas Auctoris* & *patria*, ſi aut vixerit illis *temporibus* quibus jam oræ illæ, de quibus agebat, *maritimæ Græcis* fuerint exploratæ; aut ſi *locis* ipſis *propinquus* fuerit, ut qui fuiſſent *nuperrimi accuratiſſimique* locorum illorum *Peripli*, id ſaltem haberet exploratum. Neſcio enim *primariumne Periplum* ullum ab ipſo Navigationis *duce* ſcriptum excerpſerit *Scylax*. Suſpicor potius à ſuis accepiſſe *Aſianis*, qui ante illum ſcripſerant, & *Græcorum Periplos* excerpſerant. Vix potuit alioqui in *Græcia* ipſa toties peccare, niſi *deceſſorum* erroribus *ſuos* etiam addidiſſet ipſe *Scylax*. *Græcarum* enim *Civitatum* ubique ſtudium profitetur omnium maximum. Quod porro à *continente* ad ſitas ex adverſo *Inſulas*, inde rurſus ad locum, quo filum *Peripli* interruperat in *continenti*, trajectiones faciat; ne quidem ea *primarii Navigatoris* nota eſt, ſed illius potius qui ſua omnia *alienis* debuerit *navigationibus*. Id, cum

1 *Marcian. Heracl.* p. 63. 2 *Scyl.* p. 30. 3 *Scyl.* p. 43. 4 *Scyl.* p. 51.

ita ſe habuerit, non erit proinde cur miremur, ſi *diſſitorum Seculorum* veſtigia in hoc Opere appareant, quibus illi vixerint *Auctores*, quorum ſcrinia compilarit ipſe *Scylax*. Non eſt autem de *Scylacis ætate* pronunciandum, præterquam è notis temporum *recentiſſimis*. Aliæ potius ad *Auctorum ætates* ſpectare cenſendæ ſunt, è quibus invicem *commiſſis* Periplum integrum *Scylax* confecerit *Maris Mediterranei*. Facile inde rationem reddemus *locorum*, ſiqui fuiſſent in hoc *Periplo*, qui ante veram *Scylacis*, quam dedimus, *ætatem* intercidiſſent. Non ſcilicet ipſius illa fuiſſe *Scylacis*; ſed Auctoris alicujus *antiquioris*, cujus, in ea ſaltem Peripli *parte*, fidem ſecutus fuerit ipſe *Scylax*. Huc Ego potius retulerim tam ſibi *diſſentaneam* Operis univerſi *methodum*, quam eò quo referendam cenſuit uterque *Voſſius*. Quaſi nimirum, cum in more receptum eſſet apud *recentiores Græcos* ut *collectanea* è diverſis ejuſdem Argumenti Veterum Scriptis in unum *Corpus* coacervarent, tum demum à recentiſſimo ejuſdem nominis *Scylace* prodierit hoc etiam *Corpus Periplorum* per *Mare Mediterraneum* univerſum. Tum *Geoponica*, tum *Strategica*, tum *Mechanica*, tum rei *Veterinariæ*, *Accipitrariæ*, ſimiliumque Artium *Reipublicæ* neceſſariarum, *Corpora* prodiiſſe videmus. Inde natum ſuſpicantur exemplum *Periplos* etiam in unum *Corpus* cogendi, quo illum, quem habemus, *Periplum* concinnarit nuperrimus ille *Scylax*. Sed nihil ſimile occurrit in hodierno *Scylace*. *Principibus* ut plurimum *Corpora* illa debemus, quorum omnium primus *Juſtinianus Leges* in *Corpus Triboniani* opera digeſſerit. Sic enim *Geoponica Conſtantini* cujuſpiam recentioris auſpiciis collecta legimus. Sic etiam *Corpus Hiſtoriarum Conſtantini Porphyrogenneti* juſſu congeſtum fuiſſe conſtat. Hic nullum *Principis* prorſus veſtigium eſt, ſed hominis tantummodo *privati*. In *Corporibus* illis Auctorum *nomina* & *verba* ipſa repræſentantur. *Auctorum*, è quibus *Scylax* ſua excerpſerit, ita *Catalogum* habemus nullum, ut ne quidem Auctoris vel *unius* nomen. In *Corporibus* illis de rebus *iiſdem* diverſorum *Auctorum* ſententiæ proferuntur. Hic pluſquam *unam* de eadem regione ſententiam nuſquam legimus. In illis *recentiorum* pariter ac *antiquiorum* Scripta invicem copulantur. Hic nihil eſt *Polybii* ſaltem *ætate* recentius. Nullæ prorſus *Alexandriæ*, nullæ *Antiochiæ*, nulla, ut obſervavit *Gronovius*, *Lyſimachia*; ne quidem locus ullus in *Oriente Alexandro* ipſo recentior, ut jamdiu obſervavit Anonymus, è quo conſtare poſſit, ullumne ſecutus fuerit in hac *Orientis* plaga *Scylax Alexandro* recentiorem, nedum *Polybio*: cum tamen tot novas Urbes *Alexander* ipſe proximique illius *Succeſſores* in *Oriente* condiderint. Tantum abeſt ut ſit locus ullus, qui poſtremi *Scylacis* ætatem ſapiat. Scio quidem in *Mauritania* ita legi: [1] Ἰουλίου ἄκρα πόλις καὶ λιμήν.

[1] *Scyl.* p. 50.

Sed jam optime, Ἰὼλ legendum, monuit Cl. *Vossius*. Nam ne quidem, cum *Cæsarea* posterioribus temporibus *Urbs* illa appellaretur, quemquam tamen Veterum, ut puto, legimus, qui illam *Juliam* appellarit.

§. 14. Θῆβαι τεῖχος Auctoris qui inter *Ol.* CXI, 2, & *Ol* CXVI, 2, scripserit.

Jamque facilis est ad *Gronovii* in contrarium exempla Responsio. Nihil illa ad *Scylacis* patriam, aut ad loca saltem patriæ *finitima* spectant, quæ potuit ipse per se habere explorata. Imo ad loca alia quæ è Periplis *alienis* & se *antiquioribus* ipsum oportebat discere *Scylacem*. Itaque non *Scylacis* ætatem produnt, sed *antiquioris*, quem est in *illis* partibus secutus, Auctoris. Esto tamen, ad *Scylacis* ipsius *ætatem* ea retulerimus. Ne quidem ita tantam *Scylacis* antiquitatem probabunt, quantam vult *Gronovius*. *Thebas* quidem τεῖχος [1] fateor memorare *Scylacem*. Hinc ante *Epaminondam florentem & Thebas erigentem* suspicatur scripsisse *Gronovius*. Vis ergo Argumenti, ni fallor, in eo sita est, quod tam *infrequentes* intra Thebarum *mœnia* fuerint *ædes*, ut *mœnia* potius, quam *Urbs*, fuerit appellanda. Id si volebat, Ego potius viceversa colligerem Auctorem qui ita scripserit, etiam *Alexandro*, etiam *Cassandro*, qui *mœnia* ab *Alexandro* diruta restaurarit, fuisse juniorem. Restauravit *Cassander Olymp.* CXVI, 2, anno ex quo diruerat *Alexander* XX°, qui cladem intulit *Olymp.* CXI, 2, teste *Diodoro*. Antea enim, dum starent *antiqua mœnia*, primarium certe locum inter Civitates *Bœotiæ* sibi vendicabant *Thebæ Bœotiæ*, nullum per *octingentos* annos excidium passæ, ut monet idem *Diodorus*. Itaque *Thebas* ita *desolatas* nullus potuit, qui ante *Alexandrum* vixerit, nosse *Scylax*, ne quidem ille omnium *antiquissimus*. Ego τεῖχος illud libentius non ad *Urbem* ipsam, sed ad *portum* potius, retulerim. Semper enim fere *Scylax* τείχη sua in locis statuit *maritimis*, & cum *portubus* jungit atque *navalibus*. Ut proinde in *fluctus* potius *marinos*, quam in *hostes*, munimenta intelligantur. Et certe oram hoc in loco legit *maritimam*, quam *Orchomeno* ἐν μεσογείᾳ mox opponit. Quidni ergo ad *navalia*, *Epaminondæ* hortatu, à *Thebanis* condita hæc retulerimus, cum de *Maris* dominio suis civibus asserendo meditaretur? Sic fuerit Scriptor *Olymp.* CIV, 1, junior, quo hæc ab *Epaminonda* gesta narrat *Diodorus*. Quod sane convenit cum *Messenes* mentione ab *Epaminonda* restauratæ, de qua jam supra egimus. Ego adhuc *juniorem* hujus partis Auctorem fuisse suspicor. Ut nempe illo ipso *vicennio* scripserit, quo jacuit in *ruinis* Urbs ipsa *Thebana*. Solet enim *Scylax*, cum ejusmodi navalium portuumque *muris*, *Urbes* ipsas, siquæ fuissent, conjungere, etiam cum *longe* invicem abessent. Nec sane, cum Ur-

1 *Scyl.* p. 23.

bem

bem *Bœotiæ* mediterraneam *Orchomenon* memorarit, (quam tamen *Bœotiæ* adjectam fuisse docet [1] *Strabo*) Urbs omnium *Bœoticarum primaria* erat prætermittenda. Itaque eam, cum *nulla* hic compareat, suspicor adhuc *nullam* fuisse. Medio ergo tempore inter *Olymp.* CXI, 2, & *Olymp.* CXVI, 2, vixerit oportet, non quidem *Scylax* ipse, sed *Auctor* ille saltem, cujus fidem *Scylax*, hac Peripli sui *parte*, secutus est. Serius nimirum quam *Scylacem* ipsum vult scripsisse *Gronovius*.

§. 15. *Urbes sæpe antiquioribus, quam pro sua ætate, nominibus recensent Excerptores, qualis erat Scylax.*

In his certe *Collectaneis* prudentius argumentabimur, si ex exemplis omnium *recentissimis* colligamus quam fuerit *recens* Auctor ipse *Collectaneorum*, quam si viceversa è locorum *olim* desolatorum mentione colligamus quam fuerit *antiquus*. Hoc uno alterove exemplo ostendam in Auctore, cujus ætatem habemus exploratam. Nostram *Britanniam*, anno Æræ nostræ *Christianæ* receptæ 43, in Populi *Romani* potestatem redegit *Claudius*, eo ipso tempore quo scripsit *Mela*. Hoc docent *Melæ* verba in hanc sententiam manifesta: [2] *Britannia qualis sit, qualesque progeneret, mox certiora & magis explorata dicentur. Quippe tamdiu clausam aperit ecce Principum Maximus, nec indomitarum modo ante se, verum ignotarum quoque gentium victor, qui propriarum rerum fidem ut Bello affectavit, ita Triumpho declaraturus portat.* Ex illis verbis constat, jam in ipsa Expeditione fuisse *Claudium*, cum scriberet *Mela*, qui tamen anno sequenti 44 rediit atque *triumphavit*. Hic tamen ipse [3] *Mela Olynthum* ita memorat, quasi tum quoque nondum fuisset excisa. Frustra ergo ex hoc exemplo *Scylacis* ætatem colligit *Gronovius*. Mihi certe suspicio est, Urbem saltem illam à juniore aliquo Principe fuisse *restauratam*, nec *Philippi* ætate antiquiores fuisse omnes eorum quos habemus hodieque *numos*. *Potidæam* præterea habet idem *Mela*, & quidem ita, quasi jam tum *Potidææ* receptum fuisset etiam nomen. [4] *Ibi* (inquit) *est Potidæa*. Et tamen nomen ejus in *Cassandriam* mutatum esse docet non junior modo *Plinius*, verumetiam antiquiores *Mela*, [5] *Strabo*, atque *Diodorus*. Certe ab ipsius, ut videtur, temporibus *Cassandri*. Successorum enim neminem scio qui *Cassandri* nomine Urbem fuerit appellaturus. De *Olyntho* autem ita loquitur, ut *Mela*, *Strabonis* etiam (quem solum hoc in loco habemus) Epitomator. Ὅτι τῆς Ὀλύνθȣ ἐπίνειόν ἐςιν Μηκύβερνα ἐν τῷ Τορωναίῳ κόλπῳ. Ὅτι πλησίον Ὀλύνθȣ χωρίον ἐςὶν κοῖλον καλȣ́μενον Κανθαρώλεθρον. Locum posteriorem ex Opere περὶ Θαυμασ. ἀκȣσμ. desumsit fortasse *Strabo*. Sed & illum Auctorem excidio sub *Phi*-

1 *Strab.* L. IX p. 411. 2 *Mel.* L. III. c. 6. 3 *Mel.* L. II. c. 2. 4 *Mel.* ibid. 5 *Strab.* L. VII. fin. Epitom.

lippo juniorem fuiſſe probavimus. Et de *Olyntho* ita loquitur etiam [1] *Plinius*. Itaque reſtauratam fuiſſe veriſimillimum eſt. Quod ſi hoc, in tanto Veterum ſilentio, minus credibile cenſuerit *Gronovius*; hic etiam exemplum habebimus, ut *Veterum*, quos excerpſerant, *tempora* cum *ſuis* juniores confuderint. Male ergo ex hac *Urbium* olim *dirutarum* mentione *Scylacis* ætatem colligit *Gronovius*, cum etiam *illum* antiquiorum Operum Excerptoribus accenſendum eſſe jam oſtenderimus. *Brundiſium Gronovius* ipſe in *Scylace* deprehendit ſub nomine Βρεντεσίνων. & *Pellam ſatis glorioſe nominatam*, cum dicat *Scylax* in illa fuiſſe *Regiam*. Non erant ergo *Urbes* illæ inter Argumenta, quæ *antiquitati Scylacis* faverent, qualis credebatur, accenſendæ.

§. 16. *Hodiernus* Periplus ſatis apte reſpondet primi Auctoris *conſilio*, convenitque cum *Perſona* ac ætate *Scylacis Polybiani*.

Hoc autem excepto, quod Periplorum *ſingulorum* mores *varios* ſapiat, è quibus Periplum Maris Mediterranei *univerſalem* compegit ipſe *Scylax*; non video ſane quin *unius fili* Opus, quale ab Auctore prodiit, hodieque habeamus. Imo quale veriſimile eſt ab ipſo proditurum fuiſſe *Scylace*. Jam vidimus illum *ſtadiorum* numerum in *dies* convertiſſe, & *noctes* etiam ad *dies* redegiſſe, ut *diurnis* navigationibus *Europæ Aſiæ Libyæque* Paraplos deſignaret. Nec eſt quod dubitemus quin, ſi non obſtarent *mendæ* & *lacunæ*, ſummæ *particulares* univerſalibus fuiſſent reſponſuræ. Pollicetur prætcrea *Titulus* ipſe *gentes*, & *regiones*, & *portus*, & *fluvios*, & *ſpatia* navigationum, quæ certe videmus obſervari accuratiſſime, dum conſtat Textus *integer*, & *ſibi* conſentaneus. Pollicetur idem *Titulus inſulas ſeptem habitatas, prout quæque adjacebat continenti*. Et ſane à partibus *continentis* adverſis ad *inſulas* tranſitus facit, pro methodi ratione promiſſa. Addit *Titulus*, καὶ αἱ νῆσοι αἱ ἑπτὰ αἱ οἰκούμεναι. Vix eſt cur *Æolidas*, quæ ipſæ *ſeptenario* numero cenſebantur, cum in animo habuiſſe ſuſpicemur. Alium Ego potius *ſeptenarium* cogitaſſe crediderim *inſularum* in *Mari*, de quo agebat ille, *Mediterraneo maximarum*. Illum memorat Auctor de [2] *Mirabilibus Auſcultationibus*: earumque *nomina* recenſent [3] *Diodorus* atque [4] *Strabo*; nempe *Siciliam*, *Sardiniam*, *Cyprum*, *Cretam*, *Eubœam*, *Corſicam*, *Lesbum*. Et quidem ex *Timæo Strabo*. Itaque jam uſque à *Timæo* receptus eſt numerus ille *inſularum maximarum ſeptenarius*. Imo *ante* Timæum, ſi quidem recte Opus de *Mirabilibus Auſcultationibus Theophraſto* aſſeruerimus. Et ſane Catalogum *inſularum maximarum* exhibet noſter in Operis fine *Scylax*. Ibi primum locum

1 *Plin.* N. H. IV. 11. XI. 28. XVIII. 30. Imo ante *Scymnus Chius*. 2 De Mir. Auſcult. p. 1157. 3 *Diod.* L. V. p. 297. 4 *Strab.* L. XIV. p. 654. & *Euſtath.* in *Dionyſium* v. 568.

obtinent

obtinent ipsæ illæ, quas modo recensuimus, *septem insulæ*. Numerat autem, fateor, *Scylax* XX. Num ergo alias, quæ *septem* primis subjiciuntur, *insulas* à manu *recentiori* fuisse suspicabimur? Quod scilicet *alienæ* videri possint à Scriptoris consilio primario: quod, quale fuerit, è *Titulo* didicimus. Non puto. Imo *Titulum* ipsum potius *mutilum* fuisse arbitror. Sic enim hodie conceptus est, quasi, præter *septem*, alias nullas *insulas* agnovisset οἰκούμενας. Atqui hoc nemo Veterum, quod sciam, observavit. Nemo certe, qui intra *trium*, quos volunt, *Scylacum* ætates vixerit: nemo à *primorum* etiam *Historicorum Geographorumque* ætate. Sic ergo fortasse *Titulus* supplendus est, ut cum Operis *contextu* & *fine* conveniat: καὶ αἱ νῆσοι αἱ ἑπτὰ [αἱ μέγισται, καὶ λοιπαὶ] αἱ οἰκούμεναι. Addit præterea in fine *Diaphragmata* quædam, quibus mos esset ut è *Græcia* trajiceretur in *Asiam*. Eo autem nomine *lineolas* intellexit in *Tabulis* sui temporis *Geographicis*, quibus maris trajecti *plagæ*, quasi *sepimentis* quibusdam, dirimebantur. Tales enim *lineolas* habemus, quibus *itinera* designantur, in *Tabulis* Veterum, quæ hodie exstant, omnium *antiquissimis*, nempe *Peutingerianis*: etiam in itineribus *pedestribus*. Erant autem *Tabulæ* istiusmodi *Scylaci* coævæ omnium *antiquissimo*. Sub illo enim *Dario*, qui illum misit *Scylacem*, Tabulas *Geographicas* ab *Aristagora Milesio Cleomeni Lacedæmoniorum* Regi missas, Auctor est [1] *Herodotus*. Imo ab *Anaximandro Thaletis* discipulo, ipso quoque *Milesio*, excogitatas testatur [2] *Laërtius*. Duo autem habet istiusmodi *Diaphragmata*, & plane talia qualia erant à *Scylace* exspectanda. Aliud est ab *Euripo Chalcidis* ad *Mycalen*, cujus tamen per medias, quas recenset, *insulas* minus recta erat navigatio. Aliud, à *Tænaro* fortasse Promuntorio, ὀρθὸν κατ' ὁδὸν, per *Cytheram* certe, & *Carpathum*, & *Rhodum*, in *continentem Asiæ* minoris. Sed miror non vidisse Interpretes, pro *Ægina* (quæ hic media ponitur inter *Cytheram* atque *Cretam*) reponendam esse *Ægila*. Mediam enim inter *Peloponnesum* & *Cretam* Αἰγιάλειαν insulam refert [3] *Stephanus*. Mediam item inter *Cytheram*, oppidumque *Cretæ Phalasama Ægliam* [4] *Plinius*. Non aliam utique ab Αἰγιλέιας [5] *Herodoti*, & [6] *Epla Ptolemæi*. *Ægliam* certe apud *Plinium* è *MSS.* fide restituit *Harduinus*. Hoc autem obiter. Quis autem hic non videt itinera *maritima* à *Græciæ* plaga *Septentrionali* (quam amne *Peneo* concluserat *Scylax*) & *meridionali* designari à *Scylace*? Sic nempe fuerat ubique de *Græcis* Urbibus inprimis solicitus. Quis item non videt utrobique *Diaphragmatum lineas* ad partes *Asiæ* minoris deduci *meridionales*? Plane ut *Scylacem*

1 *Herodot.* L. V. 2 *Laërt.* L. II. n. 2. *Agathemer.* I. 1. *Strabo* L. I. p. 7. 3 *Steph.* voc. Αἰγιλία. 4 *Plin.* N. H. IV. 12. 5 *Herodot.* L. VI. 107. 6 *Ptolem.* III. 6.

decuit,

decuit, cujus *patriam* insulam *Caryandam Caribus* accensitam ipse testatur. Et quidem *Mycalen* olim *Cariæ* fuisse constat. Aliter se res habebat, cum scriberet *Scylax*. *Mycalen* enim *Lydiæ* ipse attributam esse docet. Hic etiam notam habemus Seculi *Polybio* coævi. Post victum enim *Antiochum*, anno *Varr.* 566, *Caria Rhodiis Romanorum* Bello in *Antiochum* sociis concessa usque ad [1] *Mæandrum*. Tum ergo *Cariæ* finis factus est *Mæander*, unde *Cariam* censet etiam *Scylax*. Postea (cum ancipites essent in Bello cum *Perseo*) *Rhodiis* ademta est [2] *Caria*, suique juris pronunciata : iisdem nempe *limitibus*, quibus antea *Rhodiis* fuerat attributa. Nempe anno *Varron.* 587. Inde intelligimus cur per *Rhodum* posterius ductum fuerit *Diaphragma*. Quod scilicet *Rhodiis*, cum ille *inciperetur* Navigationis cursus, *Caria* ipsa paruerit. Patet ergo *unius* esse *fili* hunc Periplum universum; nec alteri *Auctori* melius convenire quam *Scylaci*; & ne quidem *Seculo* alteri aptius respondere, quam quod *Nos Scylaci* tribuendum esse probavimus. *Recentioris* certe post *Christum Scylacis*, aut *Interpolatoris*, nulla prorsus apparent, quæ credebant Magni *Vossii*, indicia. Imo ex quo hic *Titulus* Operi præfixus legebatur, ægrè admodum vel esse poterant.

§. 17. Qualis fuerit *Scylacis Periodus*. Tam *Periodum* quam *Periplum* videtur scripsisse *juvenis*.

Collegit autem, ut videtur, *Scylax* noster hunc *Periplum* antea quam *Itinerario pedestri* manum admoveret. Si aliter fuisset, profecto aliquid de eo monuisset, cum *Urbes* saltem in nonnullis Peripli *partibus* recenset *Mediterraneas*. Nempe ut inde Lector accuratiora hauriret, cum etiam *Mediterranea* obiret ex professo, quam hic cum obiter tantummodo aliudque agens loca *Mediterranea* perstringeret. Pro *Peripli* autem exemplo verisimillimum est illam confectam esse Γῆς Περίοδον. Nempe ut è *variis* variorumque Navigatorum *Paraplis* unum confecit *Maris Mediterranei Periplum* : ita è *variis* Ὁδοιπόρων *Itinerariis* invicem commissis unum conflaverit *trium* continentum, qua saltem Mari *Mediterraneo* appropinquabant, Περίοδον, & spatia locorum vel *stadiis*, vel *diurnis* itineribus distinxerit. Suspicor autem locorum non aliorum, quam qui à *Mari* non *longe* abessent, in illa *Periodo* factam esse mentionem. Cur ita suspicor facit ipse *Scylax*. Πλοῦν enim & Ὁδὸν ita invicem distinguit, ut Πλοῦ nomine navigationis *maritimæ* spatium intellexerit inter Urbes in *ora* sitas *maritima*; Ὁδοῦ autem, spatium inter easdem qua ex una in aliam transitus erat itinere *pedestri*. Ita è *Buthoë* in *Epidamnum* ΠΛΟΥΣ (inquit) [3] ἐστὶν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, ΟΔΟΣ δὲ τριῶν ἡμερῶν. Rursus ex *Epidamno* in *Apolloniam*

1 *Polyb.* Legat. XXV. *Liv.* Lib. XXXVIII. 39. 2 *Polyb.* Leg. XCIII. *Liv.* L. XLV. c. 25. 3 *Scyl.* p. 9.

[1] ΟΔΟΣ ἡμερῶν δύο. In eandem ſententiam. [2] Παράπλους εὐθὺς ἀπὸ Ἴστρου ἐπὶ Κριοῦ μέτωπον, τριῶν ἡμερῶν καὶ τριῶν νυκτῶν. ὁ δὲ παρὰ γῆν διπλάσιος. ἔστι γὰρ κόλπος. Ita *Periodus* fuiſſet Maris interioris *circuitus* per ὁδοὺς, ſeu (ut è poſtremo loco conſtat) παρὰ γῆν. Et uſus erat, ut ita de breviſſimis conſtaret itinerum *compendiis*. Et vere Περίοδος fuiſſet, ſi oræ præſertim *terreſtris* intervalla in hoc alio ejus Opere docuiſſet *Scylax*, ſicut in *Periplo* (quem habemus) oræ ſpatia docuit præcipue *maritimæ*. Fieri autem poteſt ut hæc & alia quædam, in quibus locorum *mediterraneorum* ſpatia legimus, è *Periodo*, quæ periit, in *Periplum* emanarint: ſeu id *Scylacis* ipſius opera, ſeu *recentioris* manu, contigerit. Potuit tamen cauſa fuiſſe cur *Periodus* interciderit, ſi multa inde fuiſſent in *Periplum* tranſlata. Eſtque ſane illa primaria vocis *Periodi* ſignificatio, ut nuſpiam à rei ambitæ limitibus diſceſſerit dum ad primum motus *exordium* rediretur. Atque ita ab *Hodœporicis* diſtingui ſolebant *Periodi*. Quod ſcilicet etiam *recta* Itinera *Hodœporicorum* nomine intelligenda venirent; Περίοδοι autem & Περιηγήσεις non aliæ appellarentur quam quæ fuiſſent in *circuitu*. Tandem eò deventum ut *Itineraria* omnia *Periodi* appellarentur, ſi ſaltem ad idem redirent, unde exorſa fuerant, *initium*, utcunque in *medio* à *limitibus* deflexiſſent. Ita Civitatum *Periodeutæ*, tam *Eccleſiaſtici* quam *Civiles*, loca ſuæ ditionis omnia, *media* pariter ac *finitima*, obibant. Ita S. *Petri* aliorumque Apoſtolorum *Periodos* plerunque *Itinerariorum* nomine *Latini* reddunt Interpretes, quaſi nihil *ſingulare* habentes præ aliis *Itinerariis*. Hæc vocis *ſignificatio*, num *Scylacis* ætate fuerit recepta, neſcimus. Spectant autem ad *limites* loca *Scylacis* à *Strabone* advocata. Saltem gentium regionumque *maritimarum limites* atque *intervalla Scylacem* in *Periodo* deſignaſſe veriſimillimum eſt, etiam qua *continenti* obverſabantur. Nam & in *Periplo* Urbes ſæpe recenſet etiam *Mediterraneas*; *intervalla* autem vix fere alibi præterquam in ora *maritima*. Sed diu periit, ut opinor, *terreſtre* illud Itinerarium. Neminem certe Veterum obſervavi, qui inde Teſtimonia advocarit poſt *Strabonem*. Scripſit præterea, ut exiſtimo, *utrumque* Itinerarium, antea quam refutaret *Polybium*. Eſt enim ſane *juvenilis* admodum hic omnis labor *colligendi* potius quam *judicandi*. Nullus plane hic occurrit Scriptorum *delectus*, quo operam ſuam Lectori commendaret. Nulli hic obſervantur Geographorum *errores*, nulla *mendacia* peregrinantium, (quæ tamen frequentiſſima fuiſſe in ſui quoque Seculi Geographia docuit *Polybius*) nullæ vel Auctorum non dedita opera fallentium ſaltem *diſcrepantiæ*. Tam longe abeſt ut ſtudium Argumenti, in quo verſabatur, *excolendi* vel venditarit. Ne quidem eam curam ad-

1 *Scyl.* p. 10. 2 *Scyl.* p. 29, 30.

hibuit,

hibuit, ut *eandem* methodum ubique observaret, & quæ *deerant* in uno Auctore ea ex alio earundem Regionum descriptore *suppleret*. Judicium nondum *adultum* aut *maturum* illa produnt, ni fallor, omnia. Aliter se rem habuisse verisimillimum est, cum Scriptorem judicii subactissimi *Polybium* redargueret.

§. 18. Quæ habet *Scylax* de ora Africæ *externa*, non ex *Hannone* videtur accepisse, sed potius à *Polybio*.

Jam superiori Dissertatione ostendimus, quæ habet *Scylax* de ora *Africæ* vixdum satis explorata, ea ipsum non ex *Hannone* didicisse. Idque confirmare puto *Scylacis* nostri verba illa in *Peripli* fine: Λέγουσι δέ τινες τούτους τοὺς Αἰθίοπας παρήκειν συνεχῶς οἰκοῦντας ἐντεῦθεν εἰς Αἴγυπτον, καὶ εἶναι ταύτην θάλατταν συνεχῆ· ἀκτὴν δὲ εἶναι τὴν Λιβύην. De eo autem dubitare non potuit, si quid de *Hannonis* Periplo rescivisset, quem Nos, pro Veterum sententia, *Africam* ad Mare *Erythræum* usque circumnavigasse jam ostendimus. Dubia saltem fuerit oportet Pseudo-*Hannonis* fides apud illum qui ita scripserit, nec talis certe ut in *communibus* cum *Hannone* locis *Hannonis* fidem fuerit secuturus. Imo ne quidem cum *Hannone* convenit. Ait *Hanno* à *Carthagine* ad *columnas*, atque à *columnis* ad *Cernen* navigationes respondere. Non ita *Scylax*. A *columnis* enim ad *Cernen* dies numerat XII. A *Carthagine* autem ad *columnas* dies tantummodo VII, noctesque VII. *Noctium* autem à *diebus* distinctarum calculus est quidem apud *Scylacem* frequentissimus, qui tamen nuspiam occurrit in *Hannone*. Ultra hanc (quæ à *columnis* dierum XII navigatione distabat) *Cernen* negat navigari potuisse *Scylax*. Inde dies ad minimum XXVI se ultra pertigisse profitetur *Hanno*. *Polybianæ Cerne*, quam in *extrema Mauritania contra montem Atlantem* statuit [1] *Plinius*, conveniunt potius nostri *Scylacis* illa quæ diximus, quam *Hannonianæ*. Sic enim fuerit *extremus Africæ* versus *Occidentem* limes, cum tamen ad eam aliquot dierum navigationes in *Orientem* narret hodiernus *Hanno*. Convenit porro in eo quoque cum [2] *Polybio Scylax*, quod dubium eousque fuisse significarit, num *Peninsula* esset *Africa*, an cum alia aliqua *meridionali continente* juncta. Sed quod addit, quæ ultra *Cernen* insulam sita essent, ea non fuisse propter *maris brevia*, & *cœnum*, & *algam*, navigabilia; ea potius *fabulatorum* indolem fortasse sapiunt (ut jam observavit Cl. *Vossius*) quam *Polybii*, Scriptoris tam à *fide* quam *judicio* laudatissimi. Sed fieri potest, ut quæ ignorantiæ suæ celandæ causa obtendere solebant fabulatores, ea hic *revera* locum habuerint, obstiterintque quo minus ulterius *Polybius* in navigatione procederet. *Algam* certe in hac ora *Africæ* memorant etiam juniores, terrendis, in tanta rei *Nauticæ* imperitia, Navigatoribus satis op-

1 *Plin.* N. H. VI. 31. 2 *Polyb.* L. III. c. 38.

portunam.

portunam. Et *cœnum* ſimiliter & *æſtus* & *pelagos*, in ora *Hiſpaniæ*, ultra *columnas* idem narrat fuiſſe [1] *Scylax*. Non tamen propterea oram illam *ignoraviſſe* putandus eſt, in qua tot memorat *Carthaginienſium Emporia*. Imo ad *Promuntorium* uſque *Sacrum*, cujus meminit *Scylax*, oram illam *Hiſpaniæ* habebat exploratam. Sed in ea ora *Hiſpaniæ* omnia fuiſſe quæ obſervavit *Scylax*, docet [2] *Strabo*, qui eo Seculo vixit quo omnia illa erant *compertiſſima*. Nec ſane quiſquam *Veterum* eſt (quod quidem ſciam) à quo hæc extra fretum *Herculeum* adeo accurata mutuari poſſit *Scylax*, præterquam à *Polybio*. Proximum ante illum, qui memoria recentiſſima rem *Geographicam* excoluerit, *Eratoſthenem* fuiſſe docet [3] *Strabo*. Hunc fuiſſe ait πλεῖστον πραγματευσάμενον περὶ τῆς Γεωγραφίας, quem tamen de *Iberia* admodum [4] imperitum convictumque à *Polybio* fuiſſe teſtatur. Nec oras haſce navigavit *Timoſthenes*, quem tanti fecit *Eratoſthenes* ut Opus illius integrum in ſuos uſus converterit, teſte *Marciano Heracleota*. Etiam ſitus locorum, & διαστήματα quibus invicem diſtarent, pollicebatur, *Strabone* teſte, [5] *Polybius*. Plane pro conſilio *Scylacis*, qui etiam ipſe in ora *maritima* διαστήματα ubique deſignaverat. Sunt autem illa, fateor, plerumque *ſtadiorum*, non *diurnorum nocturnorumque* itinerum, pro methodo *Scylacis*. Sed qualia fuerint in oris ab ipſo *Polybio* navigatis, non conſtat. Ibi conſentaneum eſt, *dies* atque *noctes*, quas ille navigationi inſumſerit, fuiſſe numeratas. Poterat enim *Polybius* ipſe, quod fecit *Scylax*, alienarum navigationum *ſtadia* in *dies noctesque*, aut viciſſim *dies* & *noctes* in *ſtadia*, facili admodum ſupputatione convertere. *Terminum* præterea *Aſiæ Scylax* in *Tanai* fluvio ponit. Hoc etiam debuit fortaſſe *Polybio*. Erat enim certe ſententia illa non *veterum*, ſed *juniorum*. Veteres enim à *Phaſide Colchorum* fluvio *Aſiam* cenſebant. [6] *Agathemerus*: Ἀσίας δὲ καὶ Εὐρώπης οἱ μὲν ΑΡΧΑΙΟΙ λέγουσι Φᾶσιν ποταμὸν καὶ τὸν ἕως Κασπίας ἰσθμὸν, τὸν ἀπὸ Σάρδων. Οἱ δὲ ὕστερον ΝΕΩΤΕΡΟΙ Μαιῶτιν λίμνην καὶ Τάναϊν ποταμόν. Vel hinc obiter intelligimus, non adeo *antiquum*, quam vulgo creditur, fuiſſe *Scylacem*. Ita autem ſenſit certe [7] *Polybius*: & fortaſſe *primus* eorum, qui Geographiæ *excolendæ* duces haberi ſolebant. *Ætas* enim ejus talis eſt, quæ ſi *junior* cenſeatur, ita tamen prope acceſſerit ad eam quæ pro *antiqua* haberi ſolebat Seculo *Agathemeri*, ut merito inter junioris ætatis *primordia* accenſeri poſſet. *Alexandri* M. ætatem *antiquam* cenſuit Anonymus, qui *Scylacem* noſtrum propterea ἀρχαιότατον pronunciavit, quod illum antiquiorem *Alexandro* fuiſſe crediderit. Et propinquos *Alexandro*, ſed

1 *Scyl.* p. 1. 2 *Strab.* L. III. p. 142, 143. 3 *Strab.* L. II. p. 104. 4 *Strab.* L. II. p. 93, 104, 107. 5 Apud *Strab.* L. X. p. 465. 6 *Agathem.* L. I. c. 1. 7 *Polyb.* L. III. c. 37.

tamen *juniores* illo, *Antiquitatis*, quam genti suæ asserit, *testes* advocat [1] *Josephus*, ipse nihilominus senior *Agathemero*. Et de *Tanai Asiæ* limite eandem, quam *Polybius*, sententiam sequitur *Scymnus Chius*, *Polybio* ipsi non admodum *ætate* dispar, & juniores deinceps plerique omnes. *Phaside Asiam* terminabant, ut vere observavit *Agathemerus*, antiquiores *Polybio* [2] *Æschylus* & *Herodotus*, & qui medium, inter maria *Euxinum Caspiumque*, *Isthmum* pro *Asiæ* termino habebant. Meminit quidem utriusque termini [3] *Herodotus*. Id ergo vult *Agathemerus*: ita apud *recentiores* receptam viguisse sententiam de termino *Asiæ Tanai*, ut deinceps raro admodum Lectorem de *alia* Veterum sententia monuerint, quasi *sola* illa fuisset, nec ullæ *unquam* ea de re viguissent Veterum *discordiæ*. Loquiturque, pro illo recentiorum more, non *Polybius* modo, sed noster quoque *Scylax*. Quod si vere hæc è *Polybio* desumserit *Scylax*; ne quidem *Carthaginis* mentio & *Corinthi* ad *Scylacis* ætatem designandam faciet, sed *Auctoris* potius illius quem in *illa* Peripli sui parte *Scylax* ipse fuerit imitatus. Utcunque tamen ne *Polybio* multo junior esse possit, obstat qui eum *antiquum* censuit *Strabo*: obstat, quod tot loca *antiquioribus* ipso *Polybio* nominibus appellarit. Exempla jam supra dedimus: nunc aliud damus. Urbem in montis *Atho* cacumine [4] *Acrothon* memorat *Scylax*. Hujus loco inter alias *Uranopolim* successisse docet [5] *Plinius*. Hanc ab *Alexarcho Cassandri* fratre conditam ex *Heraclide Lembo* testatur [6] *Athenæus*. Obstat quod recentioris *Polybio* nominis locum *nullum* habet. Fieri vix potest ut tot olim *Seculis* antiquata nomina collegerit *Scylax*, nec ullum unquam *recentiorum* nominum *vestigium* servarit, si tam *nuperus* ipse fuerit quam volebat *Vossius*. Prorsus credibile non est, ut tot recentioribus accuratioribusque Paraplis *neglectis*, ex *antiquissimis* tantummodo, tamque *Seculo* suo, quo vixit ipse, *remotis*, sua omnia acceperit.

1 *Joseph.* L. I. contr. Apion. 2 *Æschyl.* Prom. solut. 3 *Herodot.* L. IV. c 45.
4 *Scyl.* p. 26. 5 *Plin.* N. H. IV. 10. 6 *Athen.* L. III. c. 10.

DISSER-

DISSERTATIO TERTIA.

Ostendens *tempus*, quo de *Mari Rubro*, vel de *Gentibus* potius *Meridionalibus*, scripsit *Agatharchides*.

§. 1. *Agatharchides* sub *Ptolemao Philometore* duntaxat *adolescens.*

A*Gatharchidis Cnidii* ætatem hac una nota designavit Magnus *Vossius* pater, quod *Heraclidis Lembi* Anagnostes fuerit, teste *Photio*: quem quidem *Heraclidem Lembum* sub *Ptolemæo* sexto vixisse tradit *Suidas*. Recte quidem ille fortasse, si *Adolescentiam Agatharchidis* intelligamus, quæ *ætas* erat maxime idonea officio *Lectoris*. Non tamen propterea credendum est sub *Philometore* hæc de *Rubro Mari* commentatum esse *Agatharchidem*. Imo *diu* post *Philometorem* hoc, in quo versamur, Opus ab eo esse elucubratum evinci posse puto. Nam sub eodem *Ptolemæo Philometore* florebat, ut dixi, ipse *Heraclides Lembus*: *Agatharchide* utique aliquanto *senior*, quem habebat *Anagnosten*. Itaque *multis* sub eodem illo *Ptolemæo* annis vixit *Heraclides*, ut sub illo nominis *celebritatem* consequi posset. Nec erat *Anagnostæ* munus ei necessarium antea quam *inclaruisset*. Proinde *affecto* Philometoris Regno, adhuc *Adolescens* erat *Agatharchides*. Cum autem *unicus* memoretur vius ille *Ptolemæus*; illo profecto tempore floruerit oportet *Heraclides Lembus*, quo *solus* erat in Regno *Philometor*, sine Regni *collega*. Itaque vel *primis* Philometoris XI, qui ab anno *Varr.* 572 pertingunt ad ann. 583, similiter *Varronianum*; vel postremis XVIII, qui ab anno *Varr.* 590 ad ann. 608 numerandi sunt. *Mediis* enim annis vel *collega* erat, vel *solus* sine collega regnavit, *Euergetes*. Ergo *priori* spatio, vel forte *posteriori*, certe *affecto*, floruit *Heraclides*: ut proinde iisdem etiam limitibus *Agatharchidis Adolescentia* concludenda sit. *Utro* autem spatio claudenda sit, ex iis melius constabit quæ mox traditiuri sumus.

§. 2. Idem *senex* cum de Mari scriberet *Erythræo.*

Cæterum cum huic *Operi* manum ultimam imponeret, *senem* se jam agnoscit idem *Agatharchides*. [1] Οἶδα γὰρ (inquit) πρεσβύτερος ὤν, καὶ πολλῶν ἔμπειρος γεγονὼς πραγμάτων. Itaque de *Insulis* serius

[1] Pag. 14.

* I 2 repertis,

repertis, deque aliis ad *Troglodyticam* ſpectantibus, ſcribendi laborem excuſat, tam aliis de cauſis, quam illa quoque, qua premebatur, *ſenectutis*. Sic enim poſtea : [1] ἔτι τὸ πόνον τῆς ἡλικίας ὁμοίως ὑποφέρειν δυναμένης. Idque etiam obſervavit alibi [2] *Photius* verbis in hanc ſententiam ſatis diſertis. Itaque multis poſt *Philometorem* annis hæc ſcripſerit oportet, ut ab *Adoleſcentia* ad *ſenectutem* perveniret. Idem præterea exinde colligimus, quod *Syriam* agnoſcat *Ptolemæo* ſubditam, quam *Arabes* ditarint. Verba hæc ſunt : [3] Οὗτοι πολύχρυσον τὴν Πτολεμαίου Συρίαν πεποιήκασιν. Vix eſt cur dubitemus quin *cavam Syriam* intellexerit, de qua *Bellum* erat *Antiochi Epiphanis* in hunc ipſum *Ptolemæum*. Erat autem certe tum in *Syriæ* poſſeſſione *Antiochus*, cum ſuccederet *Philometor*, ut docet [4] *Livius*. Nec ante *ſupremum* vitæ Regnique annum *Philometor Syria* potitus eſt, cum eo nomine [5] *duo diademata capiti ſuo imponeret*. Nam certe *Syriam* eo loco *Aſiæ* nomine Scriptor intellexit. Itaque poſt *Philometorem* hæc ſcripſit *Agatharchides*.

§. 3. Scripſit *Agatharchides* ſub *Ptolemæo Alexandro*, cujus *Tutor* fuerat. Proinde inter ann. *Varr.* 649, & 666.

Habet autem & aliam *temporis* notam, quod, ut *ſenex* hæc commentatus eſt, ita ſub eo quoque *Rege*, cujus Pueritiæ *tutelam* ipſe geſſerat *Agatharchides*. Hoc enim docent verba illius in hunc ſenſum ſatis manifeſta : [6] Ἐγὼ δ᾽ ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας ἡ τύχη με κατέστησεν ἐπίτροπον τοῦ σώματος τοῦ σοῦ, νέου παντελῶς ὄντος, καὶ τῆς ὅλης βασιλείας &c. In his verbis docet, *Pupillum* illum, quicunque demum is fuerit, *Agatharchidis*, in *Regni* fuiſſe *poſſeſſione*; & quidem *ſolum*. Aliter non potuiſſet, illius nomine, *Regni totius* adminiſtrationem habere *Tutor Agatharchides*, dum ipſe annos adminiſtrationi legitimos ac idoneos attigiſſet. Erat quidem ſub [7] *Tutela*, cum primum ſuccederet, ipſe *Philometor*. Potuitque fortaſſe ſub *Tutela* fuiſſe frater ejus *Euergetes*, anno illo *unico*, quo, *fratre* adhuc ſuperſtite, in Regni poſſeſſione *ſolus* fuit. Poſt fratris mortem certum eſt *Tutelæ* annis fuiſſe *majorem*. Sed neutri illi *Ptolemæo* parebat *Syria*. Nec in *ſenectutem Agatharchidis*, nec annos ſenectuti vel *proximos*, convenire potuit illa, ſiqua fuiſſet, *Tutela*. Itaque poſt *Euergetis* mortem quærendus eſt *Pupillus* ille *Regius*. Non potuit autem ille *major* Euergetis fuiſſe *filius*, quem *Soterem Porphyrius*, alii *Phyſconem* appellant. Hujus annos *primos* cum *matre* communes numerat *Porphyrius*, dum fratris *Alexandri* annum VIII^m cum *Cleopatræ* matris anno committit XI°, & fratris *initium* cum anno *Soteris* componit IV°. Nec opus erat ei *Tutore Regni* adminiſtratore dum

1 Pag. 69. 2 Cod. 215. 3 P. 64, 65. 4 *Liv.* L. XLII. c. 29. L. XLV. c. 11.
5 1. *Macc.* XI. 13. 6 P. 14. 7 *Liv.* L. XLII. c. 29.

ſociam

sociam haberet in *Regni* administratione *matrem*. Postea, cum, fratre *mortuo*, in Regnum *denuo* reciperetur; tum certe *major* erat ætate *Pupillari*. Hinc sane manifestum est, post obitum *Philometoris*, neminem fuisse Principem, cujus Tutelæ præfici potuerit *Agatharchides*, ante fratrem *Soteris* minorem *Alexandrum*. Illumne ergo fuisse censebimus? Sed vero anteaquam Regnaret *solus*, VIII jam annis in *Cypro*, & cum *matre*, regnaverat. Ætas autem ejus quæ fuerit, cum *Cypro* præficeretur, non constat. Sed triennio minor esse vix potuit, cum tot anni à morte *Patris* elapsi essent. Annum ergo *ætatis* XI^{m} ad minimum explevisse oportet cum *Regni* hereditatem *solus* adiret. Utque unus fortassis alterve annus accessisset; non tamen obstaret quo minus vere νέος παντελῶς appellari possit, dum multi adhuc restarent ad *maturitatem* administrationi parem. Primus autem illius annus cum anno U. C. *Varr*. concurrebat 649. Qui annus erat à *morte Philometoris* XLI^{us}, ab *initio* autem $\text{LXXVII}^{\text{us}}$. Sic autem Principem, cui Opus inscripserat, alloquitur *Agatharchides*, ut innuat, jam adhuc fuisse illum (ut cum curam ejus primam susciperet) saltem νέον, nec se fortasse Regni, pariter ac corporis, cura liberatum. Regnum ergo, ni fallor, non admodum *affectum* fuisse innuit, cum hæc commentaretur. Regno excessit *Alexander* anno *Varr*. 666, post annum à *morte Philometoris* LVIII^{m}; ab *initio* autem XCIV. Hæc *ætas* est à qua longe verba ejus docent non abfuisse *Agatharchidem*. Sed fieri potest, fateor, ut ne quidem *Philometoris initio* fuerit vel natus. Si nempe *Philometoris exitu* floruerit *Heraclides*, *Lectoremque* habuerit *Agatharchidem*. Potuit enim vel *vicenarius* per aliquot *annos* munus obiisse *Lectoris*. Satis enim erat, per *Canones*, ætas annorum XVIII, ad officium *Lectoris Ecclesiastici*. Ita *Justinian. Novell*. 123, 13. Sed *minores* etiam annis *Pubertatis*, nempe ann. XIV, in *Lectorum* officio supponit Concilium *Carthaginiense*, Can. 16. pro more his temporibus propiori. Et pro more, ut videtur, receptissimo in aliis *Lectoribus*. Nihil tamen obstabat quo minus etiam *minores* idem *legendi* officium præstare possent hominibus *privatis*. Major enim necessaria erat *morum* gravitas in *Lectoribus Ecclesiasticis*. Esto ergo. Qui sub *Philometore* paucis saltem annis hoc munus obierit, fuerit saltem, cum decederet *Philometor*, *vicenarius*. Sic quoque fuerit, cum obiret *Alexander*, annorum LXXVIII. Postea rediit in Regnum *Soter*, tenuitque per annos VII, ad annum scilicet *Agatharchidis* LXXXV^{m}. Itaque si *Ptolemæi*, qui postea successit, *Dionysi* tutelam gessit, vix potuit *nonagenario* minor fuisse Agatharchides. Nec tamen constat, illius *Ptolemæi* num *ætas* fuerit, cum succederet, *Pupillaris*. Paucorum dierum Principes, qui *medii* inter *Soterem* intercedebant &

Dio-

Dionysum, non est cur moremur, cum verba ipsa *Agatharchidis* satis manifeste innuant spatium Principis, cujus *tutelam* gessit, fuisse diuturnius. Quare verisimillimum arbitror *Ptolemæum* non alium ab *Alexandro* fuisse, cujus *tutelam* obierit *Agatharchides*. Hoc si verum, hoc Opus scripserit inter annum *Varr.* 649, quo *cœpit*, & 666, quo è vivis *excessit* Pupillus *Alexander*.

§. 4. Sub *Alexandri* initio Regi *Ægyptio* parebat *Syria cava*, quæ non parebat *Ptolemæo Dionyso*.

Erat certe hoc spatio *Ægyptiorum* Regibus obnoxia pars aliqua *Syriæ*. *Hyrcano Judæam* obtinente, obsessis ab eodem *Samaritanis* suppetias tulit *Ptolemæus Soter Alexandri* frater, *Josepho Lathurus*, ἀκούσης τῆς μητρὸς, καὶ ὅσον οὔπω τῆς ἀρχῆς αὐτὸν ἐκβεβληκυίας, inquit idem [1] *Josephus*. Ergo anno U. C. *Varron.* 647. Hoc tempore eximiam quandam *Judæorum* felicitatem observavit *Josephus*, non *Hierosolymis* duntaxat, verum etiam *Alexandriæ*. Quod scilicet in *Judæa* ipsa *Hyrcano* res pro voto succederent. Et quod in *Ægypto* duces præfecerit *Cleopatra Judæos*, quorum opera ex *Ægypto* filium expulerit. Hunc locum *Josephi*, ni fallor, ob oculos habuit *Eusebius*, cum ad *Olymp.* CLXVIII, 2m annum, qui cum prædicti anni *Varroniani* parte *posteriori* concurrebat, hæc verba apponit: *Jonatha gloriose apud Judæos principatum gerit*. Observavit quidem recte *Scaliger Jonathæ* nomen hoc loco pro *Johanne*, quod nomen erat *Hyrcani*, legi. Et quidem *Eusebii* ipsius errore. Non item observavit erroris *occasionem*. Quod *Jonatham* quendam memorarit ibidem [2] *Josephus*, qui *Hyrcani* gratia floruerit, & cujus consiliis fuerit obsecutus *Hyrcanus*. Sed & aliis hujus *temporis* exemplis constabat quantum in *Syria* possent Reges *Ægyptii*. Paulo antea petitum ab eo datumque *Syriæ Regem Alexandrum Zebinam* idem narrat [3] *Josephus*, quem tamen tum non *Lathurum* appellat, sed *Physconem*. Postea *Alexandro Judæo* ipso Regni initio *Ptolemaïdem* obsidente, *pulsus* jam *Ægypto Ptolemæus*, iterum *Lathurus*, à *Ptolemaïdensibus* in auxilium vocatus est. Et in [4] *Cœlosyria* rem gessit in *Ptolemæum* filium dux *Cleopatræ Judæus Chelcias*. Postea rursus adhuc *exsul Lathurus*, Regem *Syriæ Damascenæ* etiam præficit è stirpe *Seleucidarum*. Et proinde eousque *Syriam cavam* fratri *Lathuri Alexandro* paruisse verisimillimum est, cum jam antea *Lathurum* è *Syria* repulisset mater *Alexandri Cleopatra*. Sed post hoc exsilium *Lathuri* Regna *Syriæ*, tam *Antiochenæ* quam *Damascenæ*, sub *Seleucidis* legimus. A Regibus *Alexandrinis* data nulla uspiam, opinor, legimus. *Syriam* autem *cavam* deinceps, sub Rege *Judæorum Alexandro*, *Ptolemaïs* ereptam fuisse docet

1 *Joseph.* Ant. XIII. 18. p. 452. 2 *Joseph.* ib p. 453. 3 *Joseph.* Ant. XIII. 17. 4 *Joseph.* Ant. XIII. 21.

[1] *Josephus*. Nam & *Syriæ* Urbes multas *Alexander* ipse lucratus est; & *Cœlosyriæ* Regnum *Arabs Aretas*; idque *sex* ad minimum annis ante finem *Alexandri*. *Triennio* enim ante *mortem* febre quartana laboravit: & *triennium* aliud Expeditioni alteri insumsit *Alexander*, victus ab *Areta* jam *cavæ Syriæ* possessionem adepto. Inivit *Alexander Olymp.* CLXVIII, 3. U. C. *Varr.* 648: ut mox notis in Tabulam Successionis Regum *Ægyptiorum* ostendemus. Regnavit annis in universum XXVII. Detrahantur VI, & reliquus erit annus *Regni* XXI, qui proinde anno *Varr.* 669 concurrerit, *Lathuri* illius, seu *Soteris*, anno ab *initio* XXXII°, post mortem *Alexandri*, & ante initium *Dionysi*. *Syria* ergo, quæ *Ptolemæo Dionyso* paruerit, plane nulla erat. Non potuit ergo illius fuisse *Tutor*, aut sub illo scripsisse *Agatharchides*. Recteque adeo illum ad Regnum *Alexandri*, exuta matre, retulimus. Illum τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ ἡγεμονικωτέροις accenset [2] *Diodorus*.

§. 5. Et quidem *initio Alexandri* scripsit *Agatharchides* ann. *Varr.* 649, vel 650. Paulo ante *Artemidorum*.

Superest denique & alia nota, qua hujus Operis *tempus* adhuc *angustioribus* limitibus constringimus. Nempe ut non admodum diu post *initium Alexandri* hoc Opus Pupillo suo inscripserit *Agatharchides*. Scripsit enim de *Æthiopia* non solus *Agatharchides*, verumetiam *Artemidorus*, ut ostendit [3] *Diodorus*. Sed *priori* loco *Agatharchidem* idem recenset *Diodorus*. Non tamen è loci *ordine* hoc tantummodo colligimus. Hoc idem ipse docet [4] *Agatharchides*. Orbe in quatuor plagas Cardinales diviso, observavit de *Occidente Lycum* scripsisse & *Timæum*; de *Oriente Hecatæum* & *Basilim*; de *Septentrione Diophantum* atque *Demetrium*; τὰ δὲ πρὸς μεσημβρίαν, Φορτικὸν, φησὶ, (inquit *Photius*) τὸ ἀληθὲς, ΗΜΕΙΣ. Cur ita, nisi quod *intactum* ab aliis Argumentum ipse prior occupavisset? Vix autem potuit *Agatharchidem* fallere *Artemidorus*, qui similiter in *Ægypto* vixit scripsitque ac ipse *Agatharchides*: qui Regum *Ægyptiorum* auspiciis sumtibusque itinera obierit tam *maritima*, quam *pedestria*. Hujus autem *tempus* docuit [5] *Marcianus Heracleota*: κατὰ τὴν ρξθ' Ολυμπιάδα γεγονώς. Cum *Cnidio Artemidoro* Geographum cognominem *Ephesium* confudit *Wendelinus*, quem sub *Augusto* vixisse credidit. *Primus* utplurimum *Olympiadis* annus ea forma designari solet, quæ *numerum* anni *Olympiadici* non apponit. Sic anno *Varr.* 650, vel 651, periplum ediderit *Artemidorus*. Proinde anno 649, vel 650, hoc Opus ediderit *Ptolemæi Alexandri* Tutor *Agatharchides*, nempe *Pupilli Alexandri* anno vel I°, vel II°.

1 *Joseph.* Ant. XIII. 23. p. 462. 2 *Diod.* L. III. 3 *Diod.* ib. 4 *Agatharchid.* p. 48. 5 *Marcian.* p. 65.

Antea ne quidem *potuit*, cum ſub *Tutela* nondum ipſe fuiſſet *Alexander*, ſaltem pro *Regno toto*. Imo adhuc ann. *Varr.* 649i. *initio*, in Regni adminiſtratione erat ipſa *Cleopatra*. Rediit enim illa [1] è *Syria* in *Ægyptum* quo tempore major illius filius *Soter* è *Gaza* (ubi *hyemavit*) receſſit in *Cyprum*. Ergo ante ann. *Varr.* 649, in *Tutelæ* officio ne quidem eſſe potuit *Agatharchides*, & quidem *affectum*. Itaque hoc Opus anno potius 650 fortaſſis exararit, paulo ante *Artemidorum*.

§. 6. Series accuratiſſima Succeſſionis Regum *Ægyptiorum*, ab initio *Philometoris* ad finem *Cleopatræ*, è *Porphyrio*.

Pendent autem hæc quæ diſputavimus de *Agatharchide* omnia à *temporibus* Regum *Ægyptiorum*. Damus ergo eorum ſeriem à temporibus *Philometoris*, ſub quo prima *Agatharchidis* mentio eſt, accuratiſſimam. Damus autem è Fragmentis *Porphyrii* Philoſophi, auro contra non caris, à *Scaligero* in *Græca Euſebiana* relatis. Docuit ille primum varias eorundem Regum *Ægyptiorum Epochas* ad rem *Chronologicam* plane neceſſarias. Hinc nempe diſcimus, non à deceſſorum *exceſſu* Regum annos plerunque eſſe numerandos, qui tamen error in *Chronologis hodiernis*, etiam *accuratiſſimis*, occurrit frequentiſſime. Hinc etiam diſcimus, ne quidem *eorundem* Regum annos ſemper ſibi invicem fuiſſe *continuos*, ſed ex intervallo alienorum Regnorum annis ſæpe fuiſſe *interpolatos*. Hinc diſcimus annos Regibus *poſtea* fuiſſe attributos, quibus tamen extra patriam in *exſilio* egerint, poteſtate *Regia* exuti. Hinc porro diſcimus *coævorum* Regum *anni* quomodo invicem committendi ſint. Facile autem prudentes intelligent quanto rei Hiſtoricæ damno hæc neſcienda ſint. Sed *annum*, fateor, pro rationibus *Porphyrii* adjecimus omiſſum in Canone *Aſtronomorum*, qui tamen vulgo habetur accuratiſſimus: nec ſane, in aliis intervallis, immerito. Notis ergo è coæva *Hiſtoria* petitis annus ille muniendus erat, & tota adeo *Succeſſio* ad finem *Cleopatræ* deducenda, ut ita conſtaret futurum, niſi *annus* ille interponatur, *hiatum*. Adjecimus autem *Ptolemæorum* etiam varia *cognomina*. Ut enim facile inter ipſos confuſionem fecit commune omnibus nomen *Ptolemæi*; ita etiam quod *cognomina* eadem acceperint *Ptolemæi* invicem diverſiſſimi. Sic factum, ut *temporis* nota omnium certiſſima ſit, qua poſſint invicem ſecerni. Juvabunt tamen nonnunquam ipſa illa *cognomina* ut internoſcantur. Malo autem ut ex *uſu*, quam è mea *prædicatione*, diſpoſitionis *Porphyrianæ* præſtantiam intelligas.

1 *Joſeph.* Ant. XIII. 21. p. 459.

U. C. *Varr.*	*Seleucidar.*	*Olympiad.*	*Nabonass.*	*Philometoris ab init.*				
573	131	$149\frac{3}{4}$	568	1				
574	132	149 4 150 1	569	2				
575	133	$150\frac{1}{2}$	570	3				
576	134	$150\frac{2}{3}$	571	4				
577	135	$150\frac{3}{4}$	572	5				
578	136	150 4 151 1	573	6				
579	137	$151\frac{1}{2}$	574	[a] 7				
580	138	$151\frac{2}{3}$	575	8				
581	139	$151\frac{3}{4}$	576	9				
582	140	151 4 152 1	577	10				
583	141	$152\frac{1}{2}$	578	[b] 11	Philom. cum fratre.	Euerg. ab init. cum fratre.		
584	142	$152\frac{2}{3}$	579	[c] 12	1	1		
585	143	$152\frac{3}{4}$	580	13	2	2		
[d] 586	144	152 4 153 1	581	14	3	3		
587	145	$153\frac{1}{2}$	582	15	4	4		
588	146	$153\frac{2}{3}$	583	16	5	5		
589	147	$153\frac{3}{4}$	584	17	6	6		
† 590	148	153 4 154 1	585	[e] 18	Philom. sol Regni possess.	7	Euerg. ab init. cum fratre.	Euerg. Libyæ & Cyrenes.
591	149	$154\frac{1}{2}$	586	19	18	Philom. restit. 1	8	1
592	150	$154\frac{2}{3}$	587	20	19	2	9	2
593	151	$154\frac{3}{4}$	588	21	20	3	10	3
594	152	154 4 155 1	589	22	21	4	11	4
595	153	$155\frac{1}{2}$	590	23	22	5	12	5
596	154	$155\frac{2}{3}$	591	24	23	6	13	6
597	155	$155\frac{3}{4}$	592	25	24	7	14	7

VI. Ptolemæus Philometor, *Ptolem.* Epiphanis *filius major.* VII. Euergetes 2. Philometoris frater, Epiphanis *filius* minor. *Alexandrinis* Cacergetes. *Etiam* Philologus *appellatus.* Et Physcon *Strab.* XVII. & *Joseph.* II. *contra Apion.*

† Hunc *annum* receptæ *Ægyptiorum* Chronologiæ inserendum esse probamus in *Notis.*

U. C. Varr.	*Seleucidar.*	*Olympiad.*	*Nabonaß.*	*Philometoris ab initio*	*Philom. sol. regni posseß.*	*Philom. restituti*	*Euerg. ab initio cum fra.*	*Euerg. Libyæ & Cyrenes.*
598	156	155 4 / 156 1	593	26	25	8	15	8
599	157	$156\frac{1}{2}$	594	27	26	9	16	9
600	158	$156\frac{2}{3}$	595	28	27	10	17	10
601	159	$156\frac{3}{4}$	596	29	28	11	18	11
602	160	156 4 / 157 1	597	30	29	12	19	12
603	161	$157\frac{1}{2}$	598	31	30	13	20	13
604	162	$157\frac{2}{3}$	599	32	31	14	21	14
605	163	$157\frac{3}{4}$	600	33	32	15	22	15
606	164	157 4 / 158 1	601	34	33	16	23	16
607	165	$158\frac{1}{2}$	602	35	34	17	24	17
608	166	$158\frac{2}{3}$	603	[f] 36	35	18	25	18
				Euerg. II. Ægypti sol.	Euerg. ab init. cum fratre.	Euerg. Libyæ & Cyrenes.	ab initio Philometoris.	
609	167	$158\frac{3}{4}$	604	1	26	19	37	
610	168	158 4 / 159 1	605	2	[g] 27	20	38	
611	169	$159\frac{1}{2}$	606	3	28	21	39	
612	170	$159\frac{2}{3}$	607	4	29	22	40	
613	171	$159\frac{3}{4}$	608	5	30	23	41	
614	172	159 4 / 160 1	609	6	31	24	42	
615	173	$160\frac{1}{2}$	610	7	32	25	43	
616	174	$160\frac{2}{3}$	611	8	33	26	44	
617	175	$160\frac{3}{4}$	612	9	34	27	45	
618	176	160 4 / 161 1	613	10	35	28	46	
619	177	$161\frac{1}{2}$	614	11	36	29	47	
620	178	$161\frac{2}{3}$	615	12	37	30	48	
621	179	$161\frac{3}{4}$	616	13	[h] 38	31	49	

U. C. Varr.	Seleucidar.	Olympiad.	Nabonaß.	Euerg. II Ægypti sol.	Euerg. ab initio cum fra.	Euerg. Libyæ & Cyrenes.	ab initio Philometoris.
622	180	161 4 / 162 1	617	14	39	32	50
623	181	$162\frac{1}{2}$	618	15	40	33	51
624	182	$162\frac{2}{3}$	619	16	41	34	52
625	183	$162\frac{3}{4}$	620	17	42	35	53
626	184	162 4 / 163 1	621	18	43	36	54
627	185	$163\frac{1}{2}$	622	19	44	37	55
628	186	$163\frac{2}{3}$	623	20	45	38	56
629	187	$163\frac{3}{4}$	624	21	46	39	57
630	188	163 4 / 164 1	625	22	47	40	58
631	189	$164\frac{1}{2}$	626	23	48	41	59
632	190	$164\frac{2}{3}$	627	24	49	42	60
633	191	$164\frac{3}{4}$	628	25	50	43	61
634	192	164 4 / 165 1	629	26	51	44	62
635	193	$165\frac{1}{2}$	630	27	52	45	63
636	194	$165\frac{2}{3}$	631	28	53	46	64
637	195	$165\frac{3}{4}$	632	29	54	47	65
				Soteris & Cleopatræ			
638	196	165 4 / 166 1	633	1			
639	197	$166\frac{1}{2}$	634	2			
640	198	$166\frac{2}{3}$	635	3	Alexandri.		
641	199	$166\frac{3}{4}$	636	4	1		
642	200	166 4 / 167 1	637	5	2		
643	201	$167\frac{1}{2}$	638	6	3		
644	202	$167\frac{2}{3}$	639	7	4		
645	203	$167\frac{3}{4}$	640	8	5		
646	204	167 4 / 168 1	641	9	6		

VIII. Ptolemæus Soter *Euerget.* II. *ex* Cleopatrâ *fil. major.*
Item Physcon, & Lathurus, & Pothinus, & Philometor.
Cleopatra *mater cum eo, & uno anno post illum.*
IX. Ptolemæus Alexander, *vel* Alexas.
Cleopatra *filia* Soteris, *uxor* Alexandri, *nupsit*
Alexandro *filio* Alexandri, *ab eo post dies* XIX *occisa, qui*
ipse propterea mox interfectus est. Hunc Româ misit Sulla.

U. C. *Varr.*	*Seleucidar.*	*Olympiad.*	*Nabonaß.*	*Soteris & Cleopatra.*	*Alexandri.*	
647	205	$168\frac{1}{2}$	642	10	7	
648	206	$168\frac{2}{3}$	643	Cleopatræ. 11.	8	Alexandri solius
649	207	$168\frac{3}{4}$	644	ab initio Soteris. 12	9	1
650	208	168 4 169 1	645	13	10	2
651	209	$169\frac{1}{2}$	646	14	11	3
652	210	$169\frac{2}{3}$	647	15	12	4
653	211	$169\frac{3}{4}$	648	16	13	5
654	212	169 4 170 1	649	17	14	6
655	213	$170\frac{1}{2}$	650	18	15	7
656	214	$170\frac{2}{3}$	651	19	16	8
657	215	$170\frac{3}{4}$	652	20	17	9
658	216	170 4 171 1	653	21	18	10
659	217	$171\frac{1}{2}$	654	22	19	11
660	218	$171\frac{2}{3}$	655	23	20	12
661	219	$171\frac{3}{4}$	656	24	21	13
662	220	171 4 172 1	657	25	22	14
663	221	$172\frac{1}{2}$	658	26	23	15
664	222	$172\frac{2}{3}$	659	27	24	16
665	223	$172\frac{3}{4}$	660	28	25	17
666	224	172 4 173 1	661	29	26	18
667	225	$173\frac{1}{2}$	662	30	Soteris Regni possess. 11	Soteris à reditu. 1
668	226	$173\frac{2}{3}$	663	31	12	2
669	227	$173\frac{3}{4}$	664	32	13	3
670	228	173 4 174 1	665	33	14	4
671	229	$174\frac{1}{2}$	666	34	15	5

U. C. Varr.	Seleucidar.	Olympiad.	Nabonass.	Ab initio Soteris.	Soteris Regni possess.	Soteris a reditu.
672	230	$174\frac{2}{3}$	667	35	16	6
[m] 673	231	$174\frac{3}{4}$	668	36	17	[n] 7
				Dionysi.		
674	232	174 4 / 175 1	669	1		
675	233	$175\frac{1}{2}$	670	2		
676	234	$175\frac{2}{3}$	671	3		
677	235	$175\frac{3}{4}$	672	4		
678	236	175 4 / 176 1	673	5		
679	237	$176\frac{1}{2}$	674	6		
680	238	$176\frac{2}{3}$	675	7		
681	239	$176\frac{3}{4}$	676	8		
682	240	176 4 / 177 1	677	9		
683	241	$177\frac{1}{2}$	678	10		
684	242	$177\frac{2}{3}$	679	11		
685	243	$177\frac{3}{4}$	680	12		
686	244	177 4 / 178 1	681	13		
687	245	$178\frac{1}{2}$	682	14		
688	246	$178\frac{2}{3}$	683	15		
689	247	$178\frac{3}{4}$	684	16		
690	248	178 4 / 179 1	685	17		
691	249	$179\frac{1}{2}$	686	18		
692	250	$179\frac{2}{3}$	687	19		
693	251	$179\frac{3}{4}$	688	20		
694	252	179 4 / 180 1	689	21		
695	253	$180\frac{1}{2}$	690	22		
696	254	$180\frac{2}{3}$	691	23		

Ptolemæus Dionysius, *vel νέος Διόνυσος, filius* Soteris. *Idem* Auletes.

U. C. Varr.	Seleucidar.	Olympiad.	Nabonasſi.	Dionyſi.	Cleopatræ & Berenic.	
697	255	$180\frac{3}{4}$	692	24	o 1	Berenices ſolius.
698	256	180 / 181 $\frac{4}{1}$	693	25	2	1
699	257	$181\frac{1}{2}$	694	26	3	2
700	258	$181\frac{2}{3}$	695	27		
701	259	$181\frac{3}{4}$	696	28		
702	260	181 / 182 $\frac{4}{1}$	697	29		
				Cleopatræ.	Fratris majoris.	
703	261	$182\frac{1}{2}$	698	1	1	
704	262	$182\frac{2}{3}$	699	2	2	
705	263	$182\frac{3}{4}$	700	3	3	
706	264	182 / 183 $\frac{4}{1}$	701	4	4	
707	265	$183\frac{1}{2}$	702	5	Fratr. minoris. 1	
708	266	$183\frac{2}{3}$	703	6	2	
709	267	$183\frac{2}{4}$	704	7	3	
710	268	183 / 184 $\frac{4}{1}$	705	8	4	
711	269	$184\frac{1}{2}$	706	9		
712	270	$184\frac{2}{3}$	707	10		
713	271	$184\frac{3}{4}$	708	11		
714	272	184 / 185 $\frac{4}{1}$	709	12		
715	273	$185\frac{1}{2}$	710	13		
716	274	$185\frac{2}{3}$	711	14		
717	275	$185\frac{3}{4}$	712	15	Chalcidis &c. Cleopatræ.	
718	276	186 / 187 $\frac{4}{1}$	713	16	p 1	
719	277	$187\frac{1}{2}$	714	17	2	
720	278	$187\frac{2}{3}$	715	18	3	
721	279	$187\frac{3}{4}$	716	19	4	

Cleopatra *cum* fratribus.

U. C. Varr.	Seleucidar.	Olympiad.	Nabonass.	Cleopatra.	Chalcid. &c. Cleopatra.	
722	280	187 $\frac{4}{}$ 188 $\frac{}{1}$	717	20	5	
723	281	188$\frac{1}{2}$	718	21	6	
724	282	188$\frac{2}{3}$	719	22	7	

Notæ ad Tabulas.

a VIII^m *Philometoris* annum cum anno *Nabonassari* 574 labente committit *Ptolemaus* L. VI. Magn. Constr. c. 5. Ex Eclipsi *Lunari Phamenoth* 27, seq. 28. Nempe *Maji Juliani* die 1°. Hinc situs hujus anni certissime stabilitur.

b Hoc anno questus est per Legatos *Antiochus Epiphanes* de Bello in se parato à Tutoribus *Ptolemai*. Nempe sub *Coss.* anni *Varr.* 583. *Liv.* XLII. 29. Cum non esset tuta mentio *Paois* cum *Perseo*. *Polyb.* Legat. LXXII. Bello nimirum in *Perseum* nuper *decreto*. Itaque *ante* hunc annum prima ejus in *Ægyptum* Expeditio esse non potuit. Tum vero erat in *apparatu*. *Olymp.* CLII, I. ponit *Eusebius*. Certe post *Majum* Expeditio ipsa fuerit oportet. Tum enim adhuc annus erat *Ptolemai* XI^us. ut è prædicta *Eclipsi* constat. Itaque hoc anno, ut videtur, *exeunte*, *Philometori* diadema ademit *Antiochus*. Sequenti, ut videtur, *Euergetes* in eum *Rex* factus ab *Alexandrinis*, & *Philometor* ab iisdem restitutus, *sociusque* in *Regno* additus *Euergeta*. Videmus ergo quam hæc accurate conveniant cum rationibus, quas sequimur, *Porphyrii*, qui, post annum Regni XI^m. socium *Philometoris* in Regno fuisse tradit *Euergetem*.

c XII^us *Philometoris* idem I^us erat *Euergeta*. Nam à XII ad XVII *Concordes* erant in *Regno* fratres. Sic enim diserte *Grac. Scaliger*. p. 68. Edit. *Amstel.* 1658. Proculdubio è *Porphyrio*, quanquam illo in loco *Porphyrii* ne quidem occurrat *nomen*. Inde corrigenda quæ habet alibi è *Porphyrio* nominatim advocato, p. 60. ἐχρημάτιζεν αὐτὸς Φιλομήτωρ ιϛ'. Ευεργέτȣ δὲ ἕν. Legendum fortassis, ut alibi correximus: Ευεργέτȣ δὲ ε'. Nisi magis placeat: ιϐ'. Ευεργέτȣ δὲ α'. quod male in ἓν corruperit Librarius. Sic p. 68. Τῷ δεκάτῳ τȣ̃ Φιλομήτορ. ἔτει πρῶτον ἔτ. τȣ̃ Ευεργέτȣ. Correctio facillima: Δωδεκάτῳ. Post hanc Expeditionem *Antiochus* anno *Seleucidarum* 143 Templum *Hierosolymitanum* prophanavit. I *Macc.* I. 19, 20, 21, &c. Pulsus nimirum ab *Alexandrinis*:

d Sub hujus anni *Varroniani Consulibus*, *Ægypto* (cum secundam Expeditionem meditaretur *Antiochus Epiphanes*) interdictus à *Popilio Lanate*, *Liv.* XLV. II, 12.

e Post XVII^m *Philometoris* annum, qui VI^us erat *Euergeta*, pellitur ab *Euergeta Philometor*, fuitque adeo hoc anno *solus* in *Regno*, sine æmulo, *Euergetes*. Proximo anno restituitur *Philometor* à *Romanis*. Grac. *Scalig.* p. 68. Victo ergo in *Cypro Euergeta Philometor Libya* & *Cyrenes* Regnum concessit. Ipse autem *Philometor solus* in *Ægypto* regnavit per annos alios XVIII. *Grac. Euseb. Scalig.* p. 60, 68. Nempe post annos XVII, quos egerat in Regno, *continuos*, & *annum* ab initio *Philometoris* XVIII^m, quo *exsulavit* ipse *Philometor*, solus autem in *Regno* fuit (ut dixi) *Euergetes*, ut constabit è dicendis. Desideratur autem in Canone *Astronomorum* hic annus, vacillatque adeo Observationum *Astronomicarum* recentiorum fides, qua illas in Epocha *Nabonassarea* designatas legimus apud *Ptolemaum*. Jam certe diu ante nos observavit *Petavius Astronomorum* sub *Hadriano* & *Pio* Observationes uno anno, quam oportebat, antiquius in Æra *Nabonassarea* designari. Non quidem ita quin recte se habeant *intervalla*, si in Epocha ipsa *Nabonassarea* supputentur; sed quod annorum *Principum* situs

in ea Epocha uno anno *citius* æquo constituatur. Quod sane necesse erat, cum prædictus *annus* in *Canone* prætermitteretur, quo committebantur anni *Principum* cum numeris Epochæ *Nabonassarea*. Similiter ergo errarit fortasse *Menelaus* Astronomus, qui cum anno *Nabonass.* 845 annum *Trajani* 1^{m} commisit, qui erat potius cum anno *Nabonassareo* 846 fortasse committendus. Ita si dicamus, non erit necesse ut *Nerva* adhuc superstes *abdicarit*, aut *Trajani* annus 1us ante *Nerva* mortem censitus fuerit, ut alibi existimavimus. Videant etiam Astronomi, annon hic idem annus omissus errores fecerit in calculis *Tarrutii* Astronomi de *conceptione* & *natali Romuli*, Urbisque *Romana* etiam *natali*. Vix enim est cur dubitemus, quin veras *Eclipses* designarit *Tarrutius*, quas tamen nullas in annis ab eo designatis *hodierni* reperiunt *Astronomi*. Vixit enim certe ipse *Varro*, atque adeo *Tarrutius*, postea quam hoc anno mutilaretur Canon *Astronomicus*. Itaque in hac omni *Chronologia*, quæ per Epocham *Nabonassaream* instituitur, utilis erit ad annos *Principum* explorandos *Canon*, semper ut meminerimus, *post* hunc, in quo versamur, *annum* omissum, annum Epochæ *Nabonassarea addendum* esse, ut numeri per annos *Principum* collecti numeris Epochæ *Nabonassarea* respondeant.

f XXXV duntaxat annos *Philometori* tribuunt plerique. Plane, ut in proximo legitur *Regni possessi* laterculo. Inter illos, *Canon*, quem dixi, *Astronomorum*. Imo his ipsis in locis *Porphyrius*. Et ne credatur error *Librariorum*, obstat, quod ex hoc numero (additis annis XXIX, quibus regnasse tradit *Euergetem*) summam annorum LXIV. oriri testatur, quæ fuerit in universum *utrique* tribuenda. Et tamen idem viceversa *Porphyrius* annum *Philometoris* memorat XXXVI^{m}, & cum *Euergeta* anno committit XXV°. Plane ut in Tabulis nostris hisce legitur. Imo Edictum ipsius memorat *Euergeta* ut ita committerentur. Hoc enim docent, ni fallor, ejus illa verba: Τὸ γὰρ τριακοστὸν ἕκτον Φιλομήτορος, δέον προσαγορεύεσθαι τῆς τούτου βασιλείας, πρῶτος αὐτὸς εἰκοστὸν πέμπτον ΠΡΟΣΕΞΕ γράφεσθαι. Fieri ergo vix potest ut hic errarit. Convenit porro accuratissime, quod idem addit, ex his XXV, (quos habuit cum *fratre* communes) cum XXIX aliis (quibus ipse, *post* fratris *excessum*, solus in *Ægypto* regnarit) summam conflari annorum LIV. quibus in universum regnarit à primo ejus communique cum *fratre* initio. Tam itaque certum est annos *Philometoris* XXXVI ab *Euergete* numeratos esse, quam & illud certum est, primum *Euergetis* initium à *fine* anni *fratris* XI cœpisse, ut XII^{m} Regni *fraterni* annum 1^{m} ipse *sui* Regni annum numerarit. Imo è prædictis *Porphyrii* verbis, causa, ni fallor, manifesta est, cur ita præceperit *Euergetes*. Annus enim, quo, fratre superstite, *solus* fuerat in Regni *Ægyptiaci* possessione *Euergetes*, revera ad jus spectabat *Euergetis*, ut monet etiam hoc loco ipse *Porphyrius*. Nec enim aliud profecto nomen in illius anni συμβολαίοις lectum fuisse verisimile est. Hæc enim causa fuisse videtur cur annum illum *suo* Regno ne quidem ipse imputarit *Philometor*. Non imputasse exinde constat, quod post annos XVII, quibus in Regni *possessione* fuerat, ante annum illum quo *solus* Regnavit *Euergetes*, XVIII deinceps annos duntaxat numerarit *Philometor*, qui superioribus additi annos facerent in universum tantummodo XXXV, quibus regnarit ipse *Philometor*. Ergo annum ab *initio* suo XIX^{m} ipse tamen *Regni* sui numeraverat duntaxat XVIII^{m}. atque ita numerandum *præceperat Philometor* in Regni denuo redintegrati συμβολαίοις. Et sic in reliquis ad eundem modum. Ita factum ut ultimum Regni sui annum tantummodo XXXV^{m} ipse numerarit. Potuit ergo de jure *Euergetes* annum illum à decessore suo sibi relictum sibi imputare, ut *primum* à fratris *morte* annum *secundum* numeraret. Imo revera *sibi* imputavit. Non quidem ita, ut *primum* à fratris obitu *secundum* appellarit. Nec enim tum receptum est, ut qui olim sub *decessore* Reges appellati fuerant *novam* aliam à collegarum *exitu* Epocham inchoarent. Imo receptum, ut numerum annorum sub decessore *cœptum*, pariter, exstincto decessore, *continuarent*. Sic autem certe fecit *Euergetes*. Nam

&

& illum quoque annum, quem *solus* tenuerat *vivente* fratre *Philometore*, ipse sibi accensuit, cum annum à fratris initio XXXVI^m, *suum* numerarit XXV^m. Sic enim nullum prorsus ab XI° fratris hiatum agnovit, unde ipsum *exordium* duxisse vidimus. Jus tamen aliquod suum in fratris honorem ab eo remissum innuit *Porphyrius*. Sed quodnam illud fuerit, age, videamus. Non quidem illud quod verba, qualia hodie leguntur, videntur innuere. Non in eo sitam esse gratiam, quod *Philometoris* annum XXXVI^m, *suum* ipse XXV^m numerarit. Sed viceversa potius in eo, quod *suum* annum XXV^m, *Philometoris* XXXVI^m appellandum edixerit. Hoc enim πρῶτον *Evergeten* edixisse docet *Porphyrius*. Nempe quod, cum annum quem XXXV^m numeraverat *Philometor*, ipse nihilominus *Philometoris* XXXVI^m numeraret, annum qui *sui* fuisset solius, *Philometori* etiam imputasset. Et quod *primus* hoc fecisset *Evergetes*, cum priorem ejusdem anni *partem*, qua superstes fuerat *Philometor*, XXXV° ejus anno accensuissent *Acta Publica*, aliaque id genus *monumenta*. Sic enim factum, ut sub *Evergete* cœperit mos ille annum eundem *Philometoris* XXXVI^m numerandi. Meruerat autem hanc gratiam à fratre *Philometor*, quod, pro *modestia* sua, à *fratris* anno sibi vendicando temperasset, dum ipse rerum (fratre quantumlibet invito) potiretur: & quod *victor* fratri *Pacem* adeo *honorificam* concessisset. Sed vero anni ab *initio* suo XXXVI^i *partem* saltem aliquam *Philometorem* attigisse certum est. Nam certe *Demetrius*, quem *Regem* fecerat moribundus *Philometor*, ab anno *Seleucidarum* cœpisse dicitur CLXVII^o. 1 *Macc.* XI. 19. Qua nempe anni illi, in *priori* illo Libro *Maccabaïco*, inire censentur à *Xanthico*, qui mensi *Attico Munychioni* fere respondebat, in Cyclo jam *Calippico*. Nam *ante* mensem illum anni *Varr.* 608, nondum vel cœperat annus ille *Seleucidarum* quo cecidit *Philometor*. Et tamen his quoque fortasse *temporibus*, vel paulo *junioribus*, desiit mos antiquus annos *Ægyptiorum* Regum à *Thoth* censendi, aut ab uno aliquo alio *anni exordio*. Sex enim quibus regnaverat, præter annos integros, *menses Ptolemæo Soteri* attributos docet *Porphyrius*, anno *Varr.* 673. Itaque *Philometori pars* illa saltem anni ab *initio* XXXVI^i, quam tenuit, assignanda erat; imo annus *integer*, pro norma illa quæ annos *integros* iisdem tribuebat, qui *Thoth* saltem *ineunte* in Regni *possessione* fuerant. Facile autem erat, ut *annus* ille, quem ne quidem ipse suis rationibus accensuerat *Philometor*, nec ad numerum spectabat annorum, quibus, *post* fratris *obitum*, tenuerat *Evergetes* (quorum *solorum* rationem habebant Chronologi *juniores*) penitus è Regis *utriusque* rationibus excideret. *Verum* autem fuisse annum, non ea modo quæ diximus, sed quæ etiam postea *dicemus*, ostendent.

g Hic est, ut puto, annus *Evergetis* XXVII^us, cujus mentio in monumento *Adulitano*. Nec enim tot annos regnavit *prior Evergetes*. Nec habuit (quod quidem docet *Porphyrius*, aliusve Veterum quisquam) annos cum *decessore* communes.

h Si quidem annus XXXVIII^us, quo venit in *Ægyptum Siracides*, (teste ipso in *Ecclesiastici* Prologo) idem fuerit *Evergetis* ipsius XXXVIII^us, hunc annum esse quem designarit, equidem existimarem. Et ab hoc ipso *Evergete* illud fuisse proinde *periculum* cujus ipse meminit *Siracides* Cap. LI. 7, 8, 9. *à Rege iniquo, & à lingua injusta.* Convenit enim certe cum hujus *Evergetis* moribus. De eo ita *Diodorus*: Πολλοὺς περιβαλὼν ψευδῶς ὡς ἐπιβουλεύοντας αὐτῷ, καὶ τοὺς μὲν ἀνῃρεῖν, τοὺς δὲ συκοφαντίαις φυγαδεύσας, καὶ τὰς οὐσίας αὐτῶν ἀφαιρούμενος. *Græc. Euseb. Scalig.* p. 68. Et Excerpt. *Porphyrogeneta* è *Diodoro Vales.* p. 350, 353, 354. Inde *Cacergetem* eundem appellabant *Alexandrini*, teste *Athenæo* XII. 27. Hæc ergo si vera sit *Siracidis* Interpretatio, constabit inde, jam illo quoque ipsius *Evergetæ* Seculo morem obtinuisse, ut anni ejus, non ab eo tempore, quo fratri *successerit*, numerarentur, sed ab eo quo primum factus est fratris in Regno *collega*. Sed verba *Siracidis* ἐπὶ Εὐεργέτου alibi aliter interpretati sumus, non ut *annum* ipsius *Evergetæ* XXXVIII^m designarent, sed ut anni potius ab initio

Philadelphi XXXVIII[i] *partem* illam quæ in *Euergetæ* prioris tempus incidit. Itaque ut minus valida illa è *Siracide* procederet Argumentatio, saltem ex *Edicto* ipsius *Euergetæ* idem colligere licebit, quo præcepit ut annus suus XXV[us] idem numeraretur fratris XXXVI[us]. nempe in συμβολαίοις. Hic enim *Regni* sui Epocham, non à *successione* deduxit, etiam *posteaquam* successisset, sed à priori illo communique cum *fratre* exordio. Hinc ergo apparet, quantum fuerint aberraturi, siqui annos Regum *Ægyptiorum* in *coævis* monumentis designatos à *decessorum* obitu supputarent, quod faciunt hodierni Chronologi. Apparet etiam quantum debeat egregiis hisce *Porphyrii* fragmentis res literaria Chronologica *Ægypti*. Quippe sine quibus fuisset ut *concurrentes* cum *decessoribus* annos plane nesciremus, & *incerta* adeo fuisset per *annos* Regum *Ægyptiorum* temporis designatio.

i Hoc *Soteris* anno frater Soteris *Alexander* Rex *Cypri* factus est. Cœpit cum *Sotere* mater *Cleopatra*. Ita factum ut annus *Cleopatræ* XI[us] idem fuerit *Alexandri* VIII[us]. Accurate pro rationibus *Porphyrii*.

k Hujus anni *situm* è *Josepho* colligimus: plane talem, qualis esse debuit pro rationibus *Porphyrii* à nobis explicatis. Post pulsum *Soterem* unico *anno* regnavit *Cleopatra*. Reliquos enim annos XVIII tenuit *Alexander* in regno *solus*. Ita scilicet, ut tamen annum, quo periit, XIX[m], idem numeret *Porphyrius*. Nempe à fratris *exsilio*, accensito etiam anno illo matris *unico*. Præfuit autem *Ægypto Cleopatra* initio *Alexandri Judæorum* Regis, cum ille *Ptolemaïdem* obsideret. *Ptolemaïdensibus* enim suppetias tulit exsul *Ægypto Soter*, jam regnans in *Cypro*, quem *Lathurum* appellat *Josephus*. Ant. XIII, 20. Et vicissim *Alexandro Judæorum* Regi subvenit in filium *Cleopatra*, ibid. c. 21. Satis accurate. Successit *Hyrcanus* junior *Olymp*. CLXXVII, 3. sub *Coss*. anni *Varr*. 685. *Joseph*. Ant. XIV, 1. Regnavitque *Alexander* ipse ann. XXVII. Ant. XIII, 23. *Alexandra* autem *Alexandri* uxor ann. IX. Ant. XIII. 24. ante initium *Hyrcani*. Hi duo numeri invicem juncti annos faciunt XXXVI, seu *Olympiadas* IX. Demantur ergo *Olympiades* IX è numero *Olympiadum*: reliquus erit annus *Olymp*. CLXVIII[æ], 3[us], quo successerit *Alexander*. Demantur rursus ex Epocha *Varroniana* anni XXXVI. Ita successerit *Alexander* anno *Varr*. 649. Poterant quidem in prædicta summa pauci redundare *menses*, qui effecerint ut successerit *Alexander Olymp*. CLXVIII[æ], 3[i] anni *parte* ea quæ anno *Varr*. 648 potius responderit. Vix potuit *annus* deesse *integer*, ut anno *Varr*. 647[o], *Olymp*. CLXVIII[æ], 2[o], saltem succederet *Alexander*. Quod tamen necessarium erat, si prædictus annus *Varr*. 590 è Regum *Alexandrinorum* successione excluderetur. Hinc ergo rursus colligimus, recte à nobis illum annum receptæ *Ægyptiorum* Chronologiæ, etiam *Astronomorum*, esse restitutum. Tenuit autem anni *Varr*. 649 etiam initio *Cleopatra*. Pulsus enim à *Cleopatra* ducibus è *Calosyria Soter Gaza hyemavit*. Inde in *Cyprum* recessit. Nec tamen ante *recessum* illius videtur in *Ægyptum* rediisse *Cleopatra*. *Joseph*. XIII, 21. Non tamen obstabat *pars* illa anni *sequentis* qua Regni possessionem tenuit *Cleopatra*, quo minus anni *integri* χρηματισμὸν retinuerit *solus Alexander*.

l Ultimi hujus *Alexandri* anni situm, pro mente *Porphyrii*, verum esse docet, quod eum cum anno à *primo* ejus initio (quod IV[o] fratris anno cœpisse vidimus) XXVI[m] numerarit ipse *Porphyrius*. Recte ergo annos ejus XVIII cum numero annorum XIX, quem habet alibi *Porphyrius*, conciliavimus.

m Sic loquitur *Porphyrius*, quasi *Soter* post mortem fratris *Alexandri* VII *annos*, & VI præterea *menses* implevisset. Inde alii qui justos duntaxat *annos* numerabant, annos eidem post *reditum* VIII tribuunt. Quasi nimirum ad annum spectarent VIII[m] supervacui illi *menses*. Habet tamen alia *Porphyrius*, quæ ad annum potius VII[m], *menses* illos referendos esse suadeant. Spatium universum à *Patris* obitu ad obitum *Soteris* concludit numero λέ ἐνιαυτοὺς πρὸς μησὶν ἕξ. Rursus postea *sex* alios *menses* memorat Successori tribuendos, εἰ συμπληρῶν τὰ τελάχιστα ἕξ ἔτη. Iterumque ait, τοὺς πάντας [χρόνους scilicet] τὰ

τὰ ἓξ καὶ τεσσαράκοντα τῷ πρεσβυτέρῳ προσνέμουσι. Et tamen *Soteris* ipsius recenset, κατὰ διαφόρους χρόνους, δεκαεπτὰ ἔτη καὶ μῆνας ἕξ. Pro *prioribus* nempe rationibus. Fieri potest, ut in primi *Soteris* decennii *fine* hi fuerint numerandi *menses*, spectarintque ad annum *Cleopatræ* XI^m. Ita fieret, ut in *sequentem* annum protrudendus esset ille *Cleopatræ* annus, quod è *Josepho* jam probavimus fuisse verissimum. Utcunque tamen XXXVI annos in *universum* numerandos esse, pro mente *Porphyrii*, sane manifestum est: seu *redundarint* in annorum numero *menses* illi, seu etiam *defecerint*. Recte ergo habent *Tabulæ*. *Defecisse* autem potius indicat, quod paulo postea in Græcis *Eusebianis Soteri* ἔτη ιϛ', μῆνας ϛ', habet *Scaliger*; si quidem illud etiam hauserit ex iisdem hisce *Porphyrii* rationibus.

n Et hujus quoque anni *situm* habemus exploratum. Ipsum quoque talem qualem postulant nostræ hæ, quæ ad *Porphyrii* rationes exiguntur, *Tabulæ*. Missus enim est à Sulla *Alexander Alexandri* prædicti filius dierum XIX duntaxat Princeps. τῆς ἐν Αἰγύπτῳ δυναστείας ἀνδρῶν ἐρήμου γενομένης. Utique post mortem *Soteris*. Regni gubernacula tenente *filia* Soteris *Cleopatra*. Eodem proinde *anno* quo è vivis *Soter* ipse *decesserat*. Non *anno* certe alio, cum ne quidem *menses*, qui deerant ad *Soteris* annos absolvendos, his (propter Regni brevitatem) attributos esse testetur ipse *Porphyrius*. Eo autem *anno* missum à *Roma Alexandrum* tradit *Appianus*, qui II^m *Sullæ Consulatum*, quo collegam habuit *Q. Cæcilium Metellum Pium*, proxime *præcessit*. Is autem non alius est quam *Varronianus* 673, cum quo *Soteris* annum *ultimum* nectunt proinde rectissime nostræ *Tabulæ*. Convenit Chronicon *Eusebianum*, quo *Dionysi* initium *Olymp.* CLXXIV, 4 assignatur. Concurrit annus ille *Olympiadis* cum *posteriori* parte prædicti anni *Varroniani* 673, ut è nostris *Tabulis* manifestum est. Et ad illam ipsam anni *Varroniani partem* rejici necesse erat propter *sex* illos *menses*, quos dixi, addititios. Siquid ergo in Chronici *Eusebiani* dispositione *sanum* sit, hoc ita se habere verisimillimum est. Habuit ergo, ut videtur, *Eusebius* Auctores *Græcos*, qui *Ptolemæi Dionysi* introitum ad prædictum *Olympiadis* prædictæ *annum* retulerint. Hinc autem rursus apparet, *annum* illum, quem nos postliminio restituimus, plane esse *necessarium*.

o *Triennio* regnasse *Dionysi* filias, *Cleopatram*, (quæ etiam *Tryphæna* appellabatur) & *Beronicen*, docet *Porphyrius*. Ita scilicet, ut *ambæ primo* anno regnarint; deinde, exstincta *Cleopatra*, per biennium sola *Beronice*. *Situs* hujus *triennii* è Fastis *Consularibus* certus est. Nam sub *Coss.* anni *Varr.* 697 *Romam* venit *Ptolemæus*. Sub *Coss.* autem anni *Varr.* 699 reductus est in Regnum à *Gabinio*.

p Nova hæc *Cleopatræ* Epocha inivit ann. *Varr.* 718, teste *Dione*. Tum enim multa data *Cleopatræ*. Convenitque examussim cum rationibus *Porphyrii*. Nullus autem hic *deficit redundatve* annus usque ad ann. *Varr.* 724, quo certum est *exstinctam* fuisse in *Cleopatra* stirpem *Ptolemæorum*. Hinc ergo rursus apparet *annum* à nobis restauratum receptæ *Ægyptiorum* Chronologiæ addendum esse.

Unum est fortasse quod in his rationibus *dubium* videri possit. *Mors* enim *Ptolemæi Dionysi* hic refertur ad annum Æræ *Varronianæ* 702. *Cælius* autem in Epist. ad *Ciceron.* Famil. L. VIII. 4. ad annum refert 703. Scripsit enim Epistolam illam postquam factus esset *Consul C. Marcellus*, & cum adhuc *designatus* esset *Consul Paullus*. Ambo scilicet in annum sequentem *Varron.* 704. Ergo certe anno *Varr* 703. Et tamen Kalendis *Sextilibus*. Tum scribit *nunciatum, & pro certo jam haberi, Regem Alexandrinum esse mortuum*. Ipso proinde illo, ut videtur, *anno*. Convenitque quod multi *Ptolemæo Dionyso* annos tribuant XXX. Sic enim eveniret ut hoc ipso, quem dixi, anno *Varroniano* 703 decesserit. Nec pugnat illud fortasse cum numero *Porphyrii*, si quidem *primus* ille annus Principis fuerit *damnati*, quique adeo postea, acto illo in *exsilium*, ad *Dionysi* rationes accesserit. Ita *Philometoris* rationibus accessit annus ille *unicus* quo *solus* in Regno fuerat *Euergetes* II^us. Ita & *Soteris* II^i

 calculos

calculos auxerunt anni *Cleopatræ Alexandrique* XIX, ut eundem *Porphyrium*, cui hæc debemus omnia, agnovisse vidimus Et quidem erat post *Alexandrum* II^{m} alius quisquam *suspectorum* natalium *Ptolemæus Cocces* filius, non *Cleopatræ*. Hic si *annum* à morte *Soteris* impleverit, quem non implevit *Cleopatra Soteris* filia cum viro suo *Alexandro* II°, teste *Porphyrio*; sic omnia convenient satis accurate. Nam & *suo* jure XXIX annos absolverit *Dionysius*; &, *damnati* hujus *Ptolemæi* anno addito, XXX. Male enim colligunt eruditi annos XVI illum exegisse in Regno *Alexandrino*, quod post annum demum à *Soteris* morte XVI^{m} *Tyri* sit mortuus. Regnum enim ejus *brevissimum* fuisse docent Auctores. Ἐκπεσὼν εὐθὺς, inquit *Strabo* L. XVII. p. 794. Sic autem annus *majoris Cleopatræ* fratris IV^{us} ultimusque in annum *Varr.* 707 conveniet rectissime. Periit enim Bello *Alexandrino Ptolemæus* ille, quod ipso illo anno gessit *Cæsar*. *Alexandriam* enim *recepisse Mart.* XXVII traditur *Cæsar* in *Kalendario veteri. Gruter.* CXXXIII. Quod hoc demum Bello *profligato* factum. Et *finem* Bello posuit prælium illud quo cecidit *Ptolemæus*. Melius ergo hæc cum *Dionysii* filiique *majoris* morte fortasse convenient. Sic autem fieri non potuerit ut annum Regni XXII^{m} *Cleopatra* absolverit. Utra autem ex his rationibus magis placeat, penes *Lectorem* esto judicium. Sunt enim hæc quoque minime spernenda.

DISSER-

DISSERTATIO QUARTA.

De *ætate* Peripli Maris *Erythræi*, ejusdemque *Auctore*.

§. 1. Salmasius ipse, in hac causa, dubius.

Æ*Tatem* hujus Scripti primus, ut puto, in dubium vocavit *Salmasius*. Sic tamen ille, magis ut rationes *dubitandi* suppeditarit, quam quicquam certo *statuendi*. Nunc enim Vir Maximus *Plinio majori* coævum fuisse censuit, quod *Reges* in *India* illos memorarit, quos *sibi* coævos credidit ipsum agnovisse *Plinium*. Nunc viceversa *aliam* Peripli ætatem fuisse suspicatur, hoc fretus Argumento: Quod *Muzirin Indiæ* portum mercimoniis celebrem fuisse tradat Auctor *Peripli* verbis [1] disertissimis; quem contra *nec mercibus abundasse*, nec *propter vicinos Piratas expetendum*, sua ætate docet fuisse [2] *Plinius*. Est etiam alibi, ubi adhuc *Plinio antiquiorem* fuisse suspicatur hunc Auctorem: imo *Augusti* potius temporibus admovendum. Nempe quia cladis meminit *Arabiæ felici* à *Cæsare* illatæ. Et quidem paulo ante suam *ætatem*. Sic enim [3] loquitur: οὐ πρὸ πολλοῦ τῶν ἡμετέρων χρόνων. Hanc autem cladem ad *Augusti* tempora retulit *Salmasius*. Hæc tanti Viri *fluctuatio* vel sola satis erat Argumenti, in quo versabatur, difficultati prodendæ, ne facile nova hæc illius sententia Eruditorum suffragia obtineret. Et tamen placuit Magno [4] *Gerardo Vossio*. Placuit item *Salmasii* æmulo Cl. [5] *Harduino*. Videamus ergo, rectene à sententia recepta decesserit *Salmasius*. Quod tamen, salvo Viri in his literis meritissimi honore faciendum.

§. 2. *Trajano* junior erat hujus Scripti Auctor.

Possessoris certe causam, donec evincatur, meliorem agnoscunt *Jurisconsulti*. Is autem *Arrianus* erat, si fides hodiernis *Librariis*. Maxime vero Possessori favendum, si *Scripti* ipsius notæ magis *Arriani* tempora videbuntur designare, quam *Plinii*, nedum *Augusti*. Idque sane verissimum est. Hoc ex illo ipso loco colligi posse arbitror, è quo contrarium elicuit *Salmasius*. Nempe quod paulo *ante* Scriptoris ætatem, *Arabiæ felicis* Emporium

1 Ἡ δὲ Μούζιρις βασιλείας μὲν τῆς αὐτῆς, ἀκμάζουσα δὲ τοῖς ἀπὸ τῆς Ἀριακῆς εἰς αὐτὴν ἐρχομένοις πλοίοις καὶ τοῖς Ἑλληνικοῖς. Peripli Mar. *Erythr*. p. 30. 2 *Plin*. N.H.VI.23. 3 Peripl. p. 15. 4 *Voss*. Hist. Græc. L. II. c. 7. fin. 5 Ad loc. *Plin*. VI.23.

floren-

florentissimum (quod ipsum quoque Arabiæ felicis nomine veniebat) *Cæsar* devastarit. Nec enim erat ullus, sub *Augusto*, *Cæsar*, de quo hoc vere Auctor potuerit affirmare. Erat quidem in *Oriente Tiberius*, sed nondum *Cæsar*. Erat & filius Augusti *Cæsar Caius*. Sed nec ille res gessit in *Arabia*. Testem habemus exceptione majorem ipsum [1] Plinium. *Nam C. Cæsar Augusti filius prospexit tantum* (inquit) *Arabiam*. Addit in eandem sententiam verbis proxime præcedentibus: *Romana autem arma solus in eam terram adhuc intulit Ælius* Gallus *ex Equestri* Ordine. *Ælium* illum *Largum* appellat *Dio Cassius*, annumque docet, quo Expeditionem illam susceperit, *Varr.* scil. 730. Si quidem is *Romanorum solus* fuerit qui *Romana arma* in *Arabiam* intulerit; si *adhuc* nemo præterea alius: Quis, quæso, potuit esse *Cæsar* qui ante *Plinium Arabiam* devastarit? Si nemo ante *Plinium* hoc fecit *Cæsar*; non potuit certe *Plinio* coævus Auctor ita scribere, paulo ante *sua* tempora *Cæsarem* in *Arabiam* penetrasse, & nobilissimum illud *Arabiæ* Emporium evertisse. Nequeunt ergo ambo illa in unum eundemque Scriptorem convenire, quod voluit *Salmasius*. Postea *Cæsar* alius, ante *Trajanum*, nullus est, de quo suspicio ulla esse possit de armis in *Arabiam* illatis. Huic autem *Arabiam* in *Provinciæ* formam redactam *Numi* gratulantur (ut alibi [2] ostendimus) etiam *Historici*. Hic idem classem in *Rubro Mari* instituit, quod non ita facile fuisset nisi occupata *utraque* illius Maris *ripa*. Is autem facile id consequi potuit qui *Euphratem* constituit Imperii *Romani limitem*. Suntque præterea alia in hoc eodem *Periplo*, quæ aliò nequeant, quam ad has *Trajani* in *Arabia felici* victorias, commode referri. Ait Auctor in [3] Λευκῇ κώμῃ, qua patebat aditus ad *Petram*, & ad *Malicham* Regem *Nabatæorum*, præsidium fuisse *Centurionis* cum στρατεύματος, tam *custodiæ* causa, quam quartæ partis *mercium*, quæ importarentur, accipiendæ. Apte hæc posteaquam *classem* in *Mari Rubro* instruxisset *Trajanus*, *Arabiasque* ipsas in Populi *Romani* potestatem redegisset. Potuit enim *aditus* tenere præsidio *Hadrianus*, cum *Regiones* tamen ipsas præsidiis liberasset. Memorat idem *Peripli* Auctor Regem τῆς πρώτης γινομένης Ἀραβίας. Partitionem illam Provinciarum cognominum in *primas secundasque* in *Romani* Imperii *Notitiis* frequentissimam fuisse constat. *Barbaris* morem eundem fuisse nihil est, quod sciam, quod evincat. Imo rem se ita habuisse docet *Festus Rufus* in Breviario. Sub *Trajano* enim demum testatur *Syrias & Arabias Provincias* esse *factas*. Loquitur autem de *primis* Provinciarum victoribus. Sed vero numero *plurali* has Provincias designavit, cum reliquas (quæ

1 *Plin.* N. H. VI. 28. 2 Præl. *Camd.* IV. ad *Spart. Hadr.* §. 10. 3 Peripl. Mar. *Eryth.* p. 15.

singulæ

ſingulæ erant) numero deſignaret tantummodo *ſingulari*. Erant ergo (etiam Imperante *Trajano*) Provinciæ in *Arabia* una *plures*. Hinc manifeſtum eſt Auctorem noſtrum (quicunque demum is fuerit) *Trajano* certe fuiſſe *juniorem*.

§. 3. Ne quidem *natus*, cum *Arabiam* ſubjugaret *Trajanus*. Proinde *Arriano* junior.

Ego ne quidem *natum* fuiſſe ſuſpicor, cum *Arabias* in Populi *Romani* poteſtatem redigeret *Trajanus*. Hoc, ni fallor, innuit, cum ait illam *Trajani* Expeditionem fuiſſe οὐ πρὸ πολλοῦ τῶν ἡμετέρων χρόνων. *Antiquiorem*, ſcilicet, fuiſſe ſaltem innuit quæ non *multo* fuerit *antiquior*. Qui enim οὐ πρὸ πολλοῦ fuiſſe dicit, is πρὸ ὀλίγου eam fuiſſe confitetur. *Sua* autem *tempora*, quà *Patrum Avorumque temporibus* opponi ſolent, à Scriptoris Natali plerunque cenſeri alibi [1] oſtendimus. Ita *diu* ante tempora *Hadriani* ne quidem *naſci* potuerit Auctor *Peripli* Maris *Erythræi*. Fine enim *Trajani* (anno nimirum Æræ noſtræ *Chriſtianæ* receptæ CXIII) erat ejus illa in *Arabiam* Expeditio, ut in [2] Prælectionibus *Camdenianis* evicimus. Itaque *poſt* illum demum *annum* natus fuerit oportet noſter Auctor. Convenit, quod *Azaniam* in [3] *Æthiopia* κρατεῖ τι δίκαιον ἀρχαῖον βασιλείας τῆς πρώτης γινομένης Ἀραβίας ſubjectam *Mapharitæ* tyranno paruiſſe ſcribit, qui *Muzanis* illam tributariam conceſſerat. Erat ergo *Arabia prima* quæ *Mapharitis* hic appellatur, & *tyrannus* idem qui alibi [4] *Cholæbus*. Jus hoc in loco cenſetur *antiquum*, quod tunc ortum habuerit, cum Provinciis *Romanis* accenſeretur *Arabia*: ſub *Trajano* ſcilicet *exeunte* natum, aut *ineunte Hadriano*. Et quidem hoc magis *Argumento*, quam *ſtylo*, mihi fateor eſſe ſuſpectum, ne fuerit hujus Scripti Auctor *Arrianus*. *Stylum* enim ipſe *Arrianus*, (& quidem dedita opera) diverſiſſimum adhibuit in *Epicteteis* (quo propius ipſum imitaretur *Epictetum*) ab eo quo uſus eſt in rebus *Alexandri* M. enarrandis. Poterat ergo & in hoc Opere, è variis *Periplis* collecto, ſtylum, certo aliquo conſilio, variare. Sed paulo *ſenior* noſtro fuiſſe videtur *Arrianus*. Vixit, teſte *Suida*, *Hadriani*, *Marci* & *Antonini* temporibus. *Antonini* autem nomine, *Pium*, ni fallor, intellexit, cum quo *Tribunitiæ Poteſtatis Imperiique* particeps factus eſt *Marcus*. Sed ſub *Hadriano* ſcripſit *Tactica*. Anno illius Principis XX° eidem *Hadriano* Ponti *Euxini* Periplum dicavit *Arrianus*: & quidem ſuperſtitibus etiamnum *Regibus* pleriſque à *Trajano* datis: imo *Trajano Hadriano*, quod nomen *initio* præſertim Imperii uſurpavit *Hadrianus*, nuper à *Trajano adoptatus*. Et rei *gerendæ* occaſionem nunciat, cum nondum innotuiſſet animus *Hadriani* à *Bello* alienus. Conveniebant hæc *Hadriani* potiſſimum *initio*, quo tem-

1 Diſſ. III. ad *Iren.* §. 3, 4. 2 Præl. XV. §. 6. 3 *Peripl.* p. 10. 4 *Peripl.* p. 13.

pore *honorem* aliquem gessit *Arrianus* huic *Periplo* ipse præfectus. Nostro proinde ætate *major*. Nec sane *diu* post *Hadriani initium* superesse potuit *Epictetus*, quem tamen audivit *Arrianus*, ipse ab eo nomen consecutus *Epictetei*. *Editas* certe ab *Arriano Epicteti Dissertationes* advocat aliquoties *Gellius*, imo, apud *Gellium*, seniores Gellio *Philosophi*, cum tamen *Pii fine* scriberet ipse *Gellius*. *Marcus* sibi gratulatur de *Libris Epicteti* sibi à *Junio Rustico* ostensis. Ipsum *Epictetum* si vidisset, multo magis gratulaturus. Tam longe abest ut *Marci tempora* attigerit ipse *Epictetus*, quod tamen verum credidit *Themistius*. Alium ergo fuisse verisimillimum est Auctorem nostrum ab *Arriano*, & quidem *Arriano juniorem*. Et certe aliam à *Pliniana* ætatem ejus observavit ipse *Salmasius*. Ex eo nimirum, quod *parum* frequens fuerit mercimoniis *Muziris*, ætate *Plinii*; quibus tamen *floruerit*, cum scriberet noster *Periplum* Maris *Erythræi*. Domitos enim eo spatio *Piratas* fuisse verisimile est præsidiis quibus instruebantur naves Mercatoriæ. Ab illis enim maximus imminebat metus. Sed *recentioris* hoc ætatis, magis quam *antiquioris*, fuisse magis consentaneum est.

§. 4. *Scripsit* noster, ut videtur, sub *Marco* & *Vero*.

Age autem, ætatem hujus *Scripti*, *Auctorisque*, exploremus adhuc accuratius. Memorat noster in *Arabia* Regem *Charibaëlem Homeritarum* atque [1] *Sabaïtarum*, συνεχέσι πρεσβείαις καὶ δώροις φίλον τῶν Αὐτοκρατόρων. Innuere videtur plures fuisse, cum hæc commentaretur, Romanorum Αὐτοκράτορας. Hæc, si vera sit, Observatio tempora designabit *Augustorum* Fratrum *Antoninorum*, *Marci* atque *Lucii*, in ipsa *Augustea* dignitate pene *parium*. Vix enim hæc ad *Cæsaream Marci* cum *Pio* Potestatem referri poterant, qui *Cæsar* quidem, & *Augusti Filius*, in *Numis* appellari solet; non autem Αὐτοκράτωρ, sive *Imperator*. Qui autem post annum Ær. *Chr.* CXIII *natus* est, is anno ejusdem Æræ CLXI° (quo successit cum Fratre *Lucius*) annum ætatis XLVIII^m^ *superare* non potuit. Potuit esse *junior*. Itaque cum hujus Auctoris *ætate* optime convenit nota illa *plurium Augustorum*. Tum etiam convenientissimum erat, ut Amicitiam suam *continuis Legationibus donisque* profiteretur *Charibaël*, dum Bellum *Parthicum* gereret in Oriente *Verus*, ne, Bello pendente, dubius videretur. Itaque ante annum CLXVI (quo rediit ad Triumphum Imperator) continuo *Belli* Quinquennio continuæ illæ fuerint *Charibaëlis legationes*. Nec multo fortasse postea collegerit hic Auctor suum *Maris Erythræi Periplum*. [2] *Parthos* certe adhuc *Indiæ* Dominos agnoscit, quos tamen *Persæi* ejecerunt paulo ante tempora *Alexandri* Imperatoris.

1 Peripl. p. 13. 2 Peripl. p. 22.

Videamus

§. 5. Non potuit *Augustus* ille fuisse *Cæsar*, cujus meminit Auctor *Peripli*.

Videamus jam quibus Argumentis contrariam nobis sententiam tueatur Cl. *Salmasius*. Nempe in Tabula *Peutingerana Templum Augusti* observavit in *Scythia*, ut putat, *Limyrica*. Inde *Augustum Cæsarem* fuisse colligit, cujus noster mentionem fecerit Auctor *Peripli* Maris *Erythræi*. Sed res *Cæsaris* sui in *Arabia* gestas tradit noster, non in *Scythia Limyrica*: ne quidem in *vicina* Scythiæ regione. Nescio an Virum memoriæ felicissimæ fugerit quam longe invicem distarint. Id potius fortasse voluit, qui ultra *Euphratem*, ultra *Indum* arma tulerat, eum proculdubio *Arabiam* in medio sitam subegisse. Quanquam ne ea quidem sequela sana sit, pugnat præterea Expeditio illa *Augusti* in *Indiam* (ut jam ostendimus) cum bonæ fidei monumentis omnibus, quæ nulla ejus in *Oriente* gesta memorant, præterquam in *Antonium*. Erat præterea, diu ante illas *Tabulas*, Principum *summorum* omnium commune nomen illud *Augusti*. Unde ergo colligemus, è tot *Augustis*, quis demum fuerit cui *Templum* illud fuerit consecratum? Ut tamen *Octavianus* ille fuerit *Augustus*, Ego *mercatoribus* potius *Romanis*, quam *victoriis Templum* illud assignarim, si quidem ullum fuerit *Augusto coævum*. *Pandionis* enim legationem ipsi *Augusto* fuisse mox ostendam, à cujus *Regno* non longe distabat illud Tabulæ *Peutingeranæ Templum*. Sic enim commodissime eveniet ut nullam Historiæ coævæ vim inferamus.

§. 6. Novum *Taprobanes* nomen nescire potuit *Ptolemæo* paulo senior *Arrianus*.

Sed & alio pugnat Argumento *Salmasius*. Quod nempe *Taprobanen* olim *Palæsimundi* Insulam, sua vero ætate *Salicam*, ejusque incolas *Salas*, appellatos fuisse testetur *Ptolemæus*; Noster autem antiquiorem *Ptolemæo* appellationem usurparit *Palæsimundi*, non recentiorem *Salicæ*, coævamque *Ptolemæo*. Non tamen pugnat hoc Argumentum quo minus hujus Operis Auctor fuisse credatur *Arrianus*, qui eadem vixit, qua *Ptolemæus*, ætate; paulo tamen *senior* annisque *provectior*. *Hadriano* certe nullas antiquiores habemus ipsius *Ptolemæi* in re *Astronomica* Observationes. Imo ne quidem anno *Hadriani* IX°. Et tamen ipsi *Hadriano* ineunti Ponti *Euxini* Periplum inscripsit, ut modo vidimus, *Arrianus*. Tunc orbem *Romanum* ipse lustravit *Hadrianus*. Ut proinde eodem tempore Pontum *Euxinum* illius auspiciis aptissime lustrarit *Arrianus*. Sic *Alexander* M. ipse in procinctu *Nearchum* emisit atque *Onesicritum*, qui oras *Indiæ* maritimas præternavigarent. Hunc imitatus est ex professo *Trajanus*. Nec alienus erat à veterum Heroum imitatione ipse *Hadrianus*. Jam sane alibi [1] ostendimus quanto studio *Numam* fuerit æmulatus. Nec sane

1 Præl. *Camd.* VII.

sane est cur dubitemus quin is idem fuerit *Arrianus* qui Ponti *Euxini* Periplum scripsit, resque ab *Alexandro* M. gestas. Præter *Inscriptionem* Librarii, se certe in ipso *Opere* prodit Auctor. Meminit enim non uno in loco *Xenophontis senioris*: & quidem ex illo ipso Opere quod Κύρυ Ἀνάβασιν inscripserat *Xenophon Socraticus*. Hinc ergo colligimus jam & illum, qui *Alexandri* res in *Asia* gestas simili Ἀναβάσεως titulo insigniverat, *Xenophontis junioris* cognomen fuisse consecutum. Itaque hoc innuit, cum *Grylli* filium *Xenophontem seniorem* vocat, se jam pro *Xenophonte* haberi *juniore*. Erat enim ostentator sui maximus *Arrianus*, ut ex ipsis Ἀναβάσεως Libris manifestum est. Proinde ante *Periplum* scripserat jam de *Alexandro* Magno *Arrianus*, & tantam nominis celebritatem adeptus fuerat, ut *Xenophontis*, quod ambivit, νεωτέρυ nomine designari soleret. *Trajani* ergo Imperio inclaruisse consentaneum est, qui tam insignis fuerit sub *initium Hadriani*. Nec sane aliter tot *Epicteti* Dissertationibus interesse potuit (quas illum docet scripsisse *Simplicius*, multo, quam habemus, plures) ut inde ille Ἐπικτήτειος audiret, teste *Suida*.

§. 7. Multa primus prodidit *Ptolemæus*, quæ *decessores* ejus latuerant.

Neque vero est quod miremur si parvo etiam intervallo decessoribus plura de rebus etiam iisdem prodiderit ipse *Ptolemæus*. Poterat enim à mercatoribus *Alexandrinis Indisque* ea discere de *Insula*, quæ *Taprobane* habebatur, quæ nondum innotuerant cum scriberet *Arrianus*. Ita sane rem fuisse necesse est, si is idem fuerit *Arrianus* ad quem *Plinii* junioris tot legimus *Epistolas*. Imo pro *ætate*, quam jam probavimus, *Epictetei Arriani*, quem sub *Hadriani initium* Scriptis *inclaruisse* vicimus. Magna enim indies incrementa cepit lucrosa illa *Alexandrinorum* in *Indiam* mercatura. Scripsit *Ptolemæi* ætate *Marinus*. Imo ὕςατος (sic enim ait) τῶ καθ' ἡμᾶς. Scripserant ergo eadem ætate alii, quorum ille ὕςατος. Hunc autem hoc nomine laudat ipse *Ptolemæus*, quod plura decessoribus suis haberet ipse explorata. Sic enim ait: [1] Φαίνεται πλείοσιν ἱςορίαις πεϱιπεπτωκὼς παρὰ τὰς ἔτι ἄνωθεν εἰς γνῶσιν ἐλθόντας. Et tamen plura de *Indiæ* statu, quam vel ipse *Marinus*, didicerat [2] *Ptolemæus*, παρά τε τῶ ἐντεῦθεν ἐκπλευσάντων, καὶ χρόνον πλεῖςον ἐπελθόντων τὰς τόπους, καὶ παρὰ τῶ ἐκεῖθεν ἀφικομένων πρὸς ἡμᾶς. Quidni ergo in his esse potuit mutatum *Taprobanes* nomen ex Insula *Palæsimundi* in *Salicam*? Quidni quod *coævum* Ptolemæo *Marinum* latuit, idem latere non potuerit *Ptolemæo* paulo *seniorem Arrianum*?

1 *Ptol.* Geogr. L. I. c. 6. 2 *Ptol.* ib. c. 17.

Sed

Sed nos juniorem *Arriano* hujus *Peripli* Auctorem probavimus. Imo ipso quoque *Ptolemæo*. Efficiet hoc ut de *hoc Auctore* magis, quam de *Arriano*, mirum videatur, cur nihil ipse de mutato *Taprobanes* nomine resciverit ex Insula *Palæsimundi* in *Salicam*. Præsertim si fuerit Auctor, ut erat *Ptolemæus*, ipse quoque pariter *Ægyptius*, imo *Alexandrinus*. Mirum tunc videbitur, non hoc ipsum ex iisdem didicisse *testibus*, à quibus ipse *Ptolemæus*, mercatoribus nimirum tam *Alexandrinis*, quam etiam *Indicis*. Mirum saltem non ab ipso didicisse *Ptolemæo*, si laborem ipse gravaretur consulendi *mercatores* (si sub *Augustis fratribus* Periplum suum Auctor concinnarit) cum sub *Hadriano* atque *Pio* potissimum floruerit *Ptolemæus*. Videamus ergo hæc quo pacto invicem possint conciliari. Mihi, fateor, omnis illa suspecta est Historia mutatorum *Taprobanes* nominum. [1] *Plinius oppidum* ait fuisse *Palæsimundum* totius Insulæ *clarissimum*, ac *Regiam*, juxta quod *oppidum fluvius* ejusdem *nominis tribus alveis in portum influxerit*. Quis inde non facile intelligat, inde *Insulæ* universæ *nomen* accessisse *Palæsimundi*? Sed nec *oppidi*, nec *Regiæ*, nec *fluvii* ita appellati, vestigia ulla apud *Ptolemæum*, qui tamen *Taprobanes Urbes fluviosque* plures quam alius Veterum quispiam memoravit. *Fluvios* Taprobanes *Ptolemæus* recenset quinque: *Phasin*, *Gangem*, *Baracum*, *Azanum*, *Soana*. In his nullum, qui ad *Palæsimundi* vel *similitudinem* aliquam accedat, ut pro illo potuerit, vel per *errorem*, usurpari. *Plinius Palæsimundi duos* duntaxat agnoscit: *Palæsimundum*, quem dixi; aliumque qui ad Septentrionem *Indiam* versus decurrerit, *Cydara* nomine, quod nec ipsum quidpiam affine habet cum prædictis *Ptolemæi* fluminibus. Addit *Plinius* è stagno *Megisba* amnem illum utrumque erupisse. Hujus autem *stagni*, aut *Megisbæ*, nulla prorsus mentio apud *Ptolemæum*, qui nihilominus *amnium* omnium à se memoratorum *fontes* describit, & à *montibus* omnes, à *stagno* nullum arcessit. *Regiam* porro *Ptolemæus unicam* in tota *Insula* agnoscit *Anurogrammum*, ipsam quoque à *Palæsimundi Pliniani* nomine alienissimam. Sed nec *portum* ullum in *Taprobane Hippuros* agnoscit *Ptolemæus*, quo tamen illos appulisse tradit *Plinius*, qui sub *Claudio* Insulæ illius commercium aperuerint. Imo ne *portum* quidem ullum, qui ad illius *nominis* vel *sonum* accedat. *Populos* præterea in *Taprobane* multos recenset *Ptolemæus*, in his *Salas* plane nullos, præterquam quo loco *Taprobanen* eandem *Insulam* fuisse asserit, quæ olim *Palæsimundi*, postea *Salica*, fuerit appellata. Mirum est profecto non ab ipso observatum *Ptolemæo*,

§. 8. Alia erat Insula *Palæsimundi* à *Taprobane Ptolemæi*. Quod tamen nescivit ipse *Ptolemæus*.

1 *Plin*. N. H. VI. 22.

aliam à se describi *Insulam* sub nomine *Taprobanes* ab ea quæ olim nomen habuerat *Palæsimundi*.

§. 9. Unde evenerit, ut de *Taprobane* adeo sibi non constarent *Veteres*.

Ego rem ita se habuisse crediderim. *Taprobanes* notitiam Veteres è *Nearchi* atque *Onesicriti* Itinerariis hauserunt. Sed plane *rudem*, atque admodum *imperfectam*. Deerant enim illis itinerum *cardines*, deerant *mensuræ* omnimodæ. *Onesicriti* (inquit [1] *Plinius*) *& Nearchi navigatio nec nomina habet mansionum, nec spatia.* Deerat, aut incertum potius erat Navigationis *exordium*. Nam *Xylenopolis* illa *ab Alexandro condita, unde ceperunt exordium, juxta quod flumen, aut ubi fuerit, non satis ibi explanatum* testatur idem *Plinius*. Sed vero ab incerta *Epocha* reliqua omnia *ratiocinia* incerta processisse necesse erat. Deerat posterorum *commercium*, quo per multa *Secula* intermisso, *nomina* deinceps mutaverant (cum è tanto intervallo repeterentur) alioqui notissimæ *Alexandri* Magni *ætate* Regiones, ut ægre admodum per notas, quas tradiderant coævi *Alexandro* Duces, *posteris* innotuerint. Deerat denique & narrantium *fides*, cum fuerint illius ævi Itineraria, ut jam olim observavit [2] *Strabo*, plerunque mendacissima. Et sane pauca admodum de *India*, suo quoque tempore, comperta fuisse, idem agnoscit *Strabo*. Fallebant etiam, post redintegrata commercia, *mercatores*, partim literarum *imperitia*, partim contemtu *cognitionis* minime *lucrosæ*, partim etiam dedita *opera* gloriabundi, ut ibidem etiam observavit *Strabo*. Hoc ergo hauserant ex antiquioribus, ipsique *Alexandro* coævis, *Itinerariis*, multorum dierum navigatione, *meridiem* versus, *magnam* fuisse *Insulam* quæ *Taprobane* appellabatur. *Indiam* autem censebant ab *Indi* ostio, unde navigationem suam in *Oceano* cœperat *Nearchus*. Quæ vero illa esset *Insula*, aut ubinam *sita*, hæc suis tantummodo colligebant *ratiociniis*. Ita scilicet, ut, quæ *prima* deinceps occurreret *magna*, & par *famæ*, quam de *Taprobane* acceperant, eam pro *ipsa* haberent *Taprobane*. Præsertim, si *multorum dierum* navigatione ab *Indi* ostio distaret. Nec enim de dierum *numero* apud ipsos *Veteres* conveniebat. Estque alioqui etiam incertissima dierum *supputatio* in itineribus *maritimis, eadem* quoque navium fabricâ, multo magis in *diversa*. Maxime autem hoc procedere credebant, si ad extremos *Continentis* fines *Meridionales* Insula illa reperiretur. Nec enim credibile censebant ultra conspectum *terræ* ad lævam sitæ navigasse *Nearchum*, in tanta rei *Nauticæ* imperitia. Ita certe, si aut *Verum* fuerit, aut (quod in hac causa eodem redit) pro vero saltem *haberetur*,

1 *Plin.* N. H. VI. 23. 2 *Strab.* Geogr. L. XV.

quod

quod ſcribit [1] *Plinius* : *Siderum* ibi *in navigando nullam fuiſſe obſervationem, nec Septentrionem cerni.*

§. 10. Inſula *Palæſimundi* ſub *Claudio* detecta, *cur* Salica poſtea fuerit appellata.

Primam autem *Taprobanes* cognitionem, qua ſaltem *Romanis* innotuerit, *Plinius* à temporibus *Claudii* deducit. Hanc certe *priſcorum* de *Taprobane* receptis *Traditionibus* opponit. [2] *Nobis* (inquit) *diligentior notitia Claudii principatu contigit, legatis etiam ex Inſula advectis. Id accidit hoc modo: Annii Plocami, qui maris Rubri vectigal à fiſco redemerat, libertus circa Arabiam navigans, Aquilonibus raptus præter Carmaniam, xv° die Hippuros portum ejus invectus, hoſpitali Regis clementia ſex menſium tempore imbutus alloquio, percontanti poſtea narravit Romanos & Cæſarem. Mirum in modum in auditis juſtitiam ille ſuſpexit, quod pares pondere denarii eſſent in captiva pecunia, cum diverſæ imagines indicarent à pluribus factos. Et hoc maxime ſolicitatus ad amicitiam, legatos quatuor miſit, principe eorum Rachia.* Regio certe quo appulerit ille *Annii Plocami* libertus, *Indiæ* erat *Ariace*, vel ſaltem Ariace *finitima*, qua licet illam ex hac deſcriptione colligere. Ad *Indiam* enim Maris *Erythræi* nomen extendunt Veteres, ut ſimul utrique, tam *Arabico* quam etiam *Perſico*, prætenderetur. Inde factum ut ad *Carmaniam* uſque vectigalium *Rubri Maris* colligendorum cauſa progreſſus fuerit *Plocami* libertus. Hinc, præter *Carmaniam*, raptus ab *Aquilonibus* xv° die *Hippuros* portum tenuit. Et *ſitu* ſatis opportuno portum *Ariace* proximum *Hippocura* repræſentat *Ptolemæus*. Plane, ut videtur, *eundem* cum *Plinii Hippuris*, ut ſit proinde ex hoc *Ptolemæi* loco *Plinius* fortaſſe corrigendus. Habet etiam idem *Ptolemæus* in *Ariaces* mediterraneis *Hippocura* alia *Regiam Baleocuri* Regis. Neſcio an *portus* nomen *Hippuris* hac ipſa addiderit de cauſa *Plinius*, ut ab aliis, ſeu *Hippuris*, ſeu *Hippocuris*, quæ *Regia* erat, *portum* ipſum ſecerneret. Nec enim erat alioqui neceſſe ut *portum* fuiſſe indicaret, quo appulerit *Aquilone* raptus itinere *maritimo* libertus. Potius tamen eò propendeo, ut *portus* ille fuerit Urbis *Palæſimundi* Regiæ. Nec enim aliud ejus iter memoratur, quo fuerit adductus ad *Regem*, præterquam à *Navali* ad Urbem *Regiam* : in *propinquo* nempe ſitam, ut ſolent *Urbibus* ſuis eſſe *Navalia*. Habebat enim hoc tempore *proprium* ſibi *Regem* Inſula illa *Palæſimundi*, à quo *legati* venerint ad *Claudium* : & proinde *Urbem Regiam*. Proinde ſi quo *fluvii oſtio* ſitum illud fuerit navale, *fluvium* illum ipſum crediderim fuiſſe *Palæſimundum*. Convenit ſatis accurate cum ſitu *Palæſimundi*, qualem deſcripſit [3] *Plinius*. Alterum enim Inſulæ fluvium *Cydara* ad *Septen-*

1 *Plin.* N. H. VI. 22. 2 *Plin.* N. H. VI. 22. 3 *Plin.* N. H. VI. 22.

trionem

trionem Indiamque versum fuisse testatur. Hunc autem *portum* contra *Meridiem appositum oppido Palæsimundo, juxta quod in portum tribus alveis fluvius Palæsimundus influxerit*. Proinde in *Oceanum*. Plane ut situm *Hippocurorum* descripsit *Ptolemæus*. Regem illum, cujus *nomen* nullum servavit *Plinius*, ipsum quoque suspicor appellatum fuisse *Palæsimundum*, proprio utique nomine appellandum (ut solent alii designari *Reges* à quibus ad *Romanos* Imperatores *legati* venerint) si quod aliud sibi *nomen proprium* habuisset. Erat enim sane apud nonnullos *Indos* mos ille receptus ut ab *Urbibus* Regiis *Reges* ipsi nomen acciperent. Ita *Strabo* de Rege [1] *Palibothrorum*: Τὸν δὲ βασιλεύοντα ἐπώνυμον δεῖ τῆς πόλεως εἶναι Παλίβοθρον καλούμενον, πρὸς τῷ ἰδίῳ τῷ ἐκ γενετῆς ὀνόματι, καθάπερ τὸν Σανδρόκοττον, πρὸς ὃν ἧκεν ὁ Μεγασθένης πεμφθείς. Nec erat *Palibothrorum* propria illa consuetudo. Recepta est etiam in alia quoque urbe illustri *Taxilis*. *Mophim* enim fuisse τῷ ἐκ γενετῆς ὀνόματι (ut *Strabonis* verba usurpemus) testatur *Diodorus*, quem *Alexander*, mutato nomine, *Taxilum* appellarit: *urbis* nimirum illius factum deinceps ab *Alexandro Regem*. Curtius *Omphim* appellat: eadem tamen mutati nominis reddita ratione. Sic enim habet: *Omphis, permittente Alexandro, & Regium insigne sumpsit, & more gentis suæ nomen, quod Patris fuerat, Taxilem appellavere Populares, sequente nomine Imperium, in quemcunque transiret*. Atque hoc fortassis exemplo tot alias quoque his partibus *regiones* legimus *singulorum hominum* nominibus insignitas: [2] *Assacani*, [3] *Abiasari*, [4] *Sopithis*, [5] *Musicani*, [6] *Sabutæ*, [7] *Porticani*. Saltem in eo quod illarum Regionum Reges illis, quæ dixi, *nominibus* perpetuo insignirentur. Ne *Pharaones* jam memorem atque *Ptolemæos* in *Ægypto*, & *Cotyes* in *Thracia*, & in *Edessa Agbaros*. Sic itaque à fluvio *Palæsimundo* nomen traxerit *Urbs Regia*, & ab Urbe *Reges* ipsi. Et simili exemplo *Urbes Regias* plures recenset *Ptolemæus* in regionibus *Indiæ* huic Insulæ *finitimis*. Hic legimus *Ozenen Regiam Tiascani*. In illo *Bœtana Regiam Siroptolemæi*. In illo *Hippocura Regiam Baleocuri*. In illo *Cerura Regiam Ceprobotis*. In illo *Modura Regiam Pandionis*. His omnibus exemplis non *Regias* tantummodo, verumetiam *Reges* habemus eodem, ut videtur, *nomine* perpetuos. Recte ergo, pro more *Indorum*, Insula hæc *Palæsimundi* fuerit appellanda, dum *Regem* haberet ipsum quoque nomine *Palæsimundum*. Postea, antea tamen quam scriberet *Ptolemæus*, alteri alicui ditioni *Insula* illa, ut opinor, accessit, exuto *Regio* dominatu. Inde factum ut *Palæsimundi* amplius appellari non possit. Tum vero congruum erat, pro more etiam *Indorum*, ut à *Populo* Insulam in-

1 *Strab.* L. XV. p. 702. C. 2 *Strab.* L. XV. p. 698. 3 *Strab.* ib. p. 698. 4 *Strab.* ib. p. 699. 5 *Strab.* ib. p. 701. 6 *Strab.* ib. p. 701. 7 *Strab.* ib. p. 701.

colente

colente *nomen* acciperet. Qui cum *Salæ* appellarentur, ſatis conſentanee, pro Analogia *Grammatica*, *Salica* deinceps erat appellanda. Quæ vero habet de hac Inſula *Plinius*, ea, cum ad Imperium *Claudii* ſpectent, è Libris illius Principis de *vita ſua* eum hauſiſſe ſuſpicor. In illis miſſas ad ſe gentium *legationes*, & ſuſcepta juſſu ſuo *Itineraria*, & cœptam patrocinio illius *mercaturam* adeo lucroſam *Alexandrinis*, ipſum *Claudium* complexum fuiſſe conſentaneum eſt. Atque hinc effectum arbitror ut memoria *Claudii* adeo cara fuerit *Alexandrinis*, ut Libri ejus publice recitarentur in [1] *Muſæo*, quod novum ille addidit *Alexandrinis*. Ipſum enim certe *Claudium* inter *Scriptores Romanos* recenſet *Plinius*, è quibus ipſe hunc, in quo verſamur, Librum excerpſerit. Vix ergo eſt cur de illis dubitemus, quæ tanto fretus teſtimonio de hac *Inſula* prodidit.

§. 11. *Situs* Inſulæ *Palæſimundi* inter *oſtia* fluvii *Nanagunæ*. Longe *alius* à *ſitu Ceilani*, quæ *Taprobane* erat *Ptolemaica*.

Erat autem *Inſula* illa *Palæſimundi* mercatoribus *Alexandrinis* multo propior quam fuerit alia illa *Ceilani*, quam pro *Taprobane* habet ipſe *Ptolemæus*. *Inſulam* enim faciunt *Nanagunæ* fluvii è monte *Vindio* oriundi *oſtia* (ut à *Ptolemæo* deſcribuntur) cujus latus alterum clauſerit *oſtium* proprio *Nanagunæ* nomine appellatum; alterum *Gnoris* fluvius, ſeu *Bindæ*, in quos influit *Nanaguna*. Ita certe crediditſe Veteres oſtendit *Aſiæ* Tabula xª *Ptolemaïca*. Et pari jure *Inſula* appellanda erat Regio *Nanagunæ oſtiis* incluſa, quo & *Patalene Indi* duobus (quæ *ſola* Antiquis innotuerant) *oſtiis* ſimiliter incluſa. In hac ſane *Inſula* reperiri jam obſervavimus *portum Hippocura*, quod nomen propius accedit ad nomen *Hippurorum Plinianorum* quam nomen *portus* ullum in *Taprobane Ptolemaïca*. Hanc autem *Inſulam*, cur pro Veterum habuerint *Taprobane*, cauſa eſſe potuit, falſa quidem illa (quæ tamen vera tunc credebatur) oræ illius *maritimæ* deſcriptio. Quod ſcilicet à *Simylla promontorio* & *oppido* inde ad *orientem* deflectere crederent oram *continentis*. Sic enim *oram* illam repræſentant *Tabulæ* ad mentem *Ptolemæi* expreſſæ. Sic enim fieret ut *terminus* ille *meridionalis Indiæ* continentis haberetur, quo loco ratiociniis ſuis collegerant, ut vidimus, Veterum fuiſſe *Taprobanen*. Situm eundem firmat *Plinius*, cum Regnum *Ceprobotis*, dum illa proderet, fuiſſe teſtatur. *Progreſſu* nimirum hujus mercaturæ, paulatim *ulteriora* patefacta fuiſſe conſentaneum erat, tot annis poſt repertam *inſulam Palæſimundi*. Nam ſub *Veſpaſiano Ceprobotes* innotuerit oportet, anno Æræ noſtræ LXXVIIº, quo *Plinius* illa ſcribebat. Ut tamen ultra *inſulam Palæſimundi* Regnum erat *Ceprobotis*, & (cujus idem meminit)

1 *Sueton*. Claud. c. 42.

Pandi-

Pandionis; ita certe citra *Taprobanem Ptolemaïcam*. Sic enim de his *Indiæ* Regnis: [1] *Nec pigebit totum cursum ab Ægypto exponere, nunc primum certa notitia patescente. Digna res, nullo anno Imperii nostri minus HS. quingenties exhauriente India, & merces remittente, quæ apud nos centuplicato væneant*. Loquitur nimirum, hoc in loco, de mercibus *Indiæ*, non suæ *Taprobanes*, sive *insulæ Palæsimundi*. Hoc facile colligimus ex *Emporiorum* nominibus infra recensitis illius mercaturæ nomine celebrium. *Portus* illi erant *Muziris* in Regno *Ceprobotæ*, & *Beccare* in Regno *Pandionis*. Horum alterum *Ceprobotem* (sic enim nomen in *Plinio* recte, ut puto, emendat *Salmasius*) tunc regnasse docet [2] *Plinius*, cum illa *proderet*. Prædicto scilicet anno Ær. *Christianæ* LXXVII°. Proinde paulo antea primum *Ceprobotem* Romanis innotuisse verisimillimum est. Tum enim *annorum* aliquot *experimenta* fuerant illius *commercii*. Itaque ultra *insulam Palæsimundi* Regni illius *situs* fuerit oportet, cum tot demum *annis* postea *Romanis*, progrediente *mercatura*, patuerit. Quod ne quidem verum esse potuit de *Taprobane Ptolemaïca*. Firmat porro nostram de illo *situ* sententiam lectio *Solini* à viro maximo, nobis nuper amicissimo, *Isaaco Vossio* restituta, si quidem vera sit, ut est profecto verisimillima. Sic enim habebat locus *Solini* ex illius emendatione: [3] *Diu orbem alterum putavere, & quidem eum quem habitare Antiscythas crederent*. Illos *Scythas Australes* fuisse censet vir sagacissimus, aliis *Scythis* finitimis oppositos. Et sane *Scythiæ* nomen hucusque pervenisse concedit ipse *Salmasius*. Proximamque huic *Palæsimundi* insulæ regionem *Limyricen Scythiam* appellant Tabulæ *Peutingeranæ*. Qui autem ad *Taprobanem Ptolemaïcam* nomen *Scythiæ* produxerit, Veterum, ut puto, neminem reperiemus. Convenit etiam huic loco, potius quam *Taprobane Ptolemaïcæ*, ut à *Salis* habitata, & inde *Salica* appellata diceretur. Nempe *unicam* in insula *Palæsimundi* gentem fuisse innuit, cum tamen *multæ* fuerint in *Taprobane Ptolemaïca*. Et sane *unicam* in hac insula *Nanaguna* gentem agnoscit ipse *Ptolemæus*, quam Σαδίων nomine insignitam ipse docet, facillimo errore è literarum majuscularum Δ & Λ confusione oriundo, si è *Salis* emanarit. Sed nec ullum in *Taprobane Ptolemaïca* exemplum est *Gentilis* ad imitationem *Salices* à *Salis* formatæ, cum sint tamen istiusmodi *Gentilia* in locis *Nanagunæ* propinquis frequentissima. Sic enim legimus in illis partibus *Sirastrenem*, *Laricem*, *Ariacem*, *Limyricem*, &c. Præcipua vero ratio erat cur ita appellaretur, ut ab *Ariace* secerneretur, in qua sita erat Urbs Regia *Baleocuri Hippocura*, si quidem is fuerit qui *Regnum* & *Regiam* in *Palæsimundi* insula exstinxerit.

1 *Plin*. N. H. VI. 24. 2 *Plin*. N. H. VI. 23. 3 *Is. Voss*. ad *Mel*. III. 7. 60.

Quod ſane facit ut ſuſpicemur Urbs illa ejus *Regia* ejuſdem cum *Palæſimundi* portu *nominis*. Facit eodem, quod non longe ab Inſula *Solis* hanc *ſui* temporis *Taprobanem* fuiſſe teſtetur [1] *Plinius*. Hæc enim nota *his* potius locis convenit inter *Indiam* ſitis & *Arabiam*, cum *contra Indi oſtia* illa fuerit Inſula, teſte [2] *Mela*. Facit etiam, quod de *Taprobane Alexandri liquere* tradit [3] *Plinius*, eam *Inſulam* fuiſſe; *idque ut liqueret*, *Alexandri M. ætatem reſque præſtitiſſe*. De hac *juniorum Taprobane*, dubitavit *Solinus*, dubitavit *Mela*, dubitavit ante *Melam Hipparchus*, eſſetne *Inſula*. Vel inde colligitur, non *continuæ* juniorum *Traditioni*, ſed hauſtis è longinquo *ratiociniis*, deberi omnem illam, quæ in *minorum gentium* Veteribus occurrit, ſententiarum, de *Taprobanes* ſitu, diſcordiam. Dubitare enim poterant *juniores*, num revera *Inſula* eſſet, quam illi pro *Veterum* habebant *Taprobane*, ſi nemo eouſque repertus eſſet, qui eam *circumnavigaſſet*. Sic enim de noſtra quoque *Britannia* dubitatum eſt, eſſetne *Inſula*, antequam illam circumnavigaret *Agricola*, ut [4] alibi oſtendimus. Poſtea compertum (ut ad *Indiam* redeamus) adhuc *meridiem* verſus tendere *continentem*, ultra *Simyllæ* promontorium. De eo ubi reſciviſſent, tum demum colligebant, *Inſulam* illam, (cujus meminerant ſub *Taprobanes* nomine *majores*) in fine *meridionali* illius continentis, *adhuc* eſſe quærendam. Huic tribuendum *ratiocinio*, ut pro *antiquiorum Taprobane Ceylan* haberetur: certe ante *Ptolemæum*. In eo tamen erravit *Ptolemæus* ipſe, ſecutique illius fidem alii *minorum gentium* Veteres, quod male illi ad *ſui* temporis *Taprobanen* retulerint, quæ ad *Inſulam aliam* (quæ olim *Taprobane* habebatur) retulerant *majores*, & coævi *Ptolemæo mercatores*. De *Palæſimundi Inſula* didicerat *Ptolemæus à mercatoribus*, eam ſuo Seculo *Salicam*, non autem *Taprobanen* appellari. Quæ ille imperite detorſit ad *aliam* illam *Inſulam*, quæ *ſuo* tempore *Taprobanes* nomine frequentabatur. Simili *ratiociniorum* errore Nos etiam alibi oſtendimus, *Thules* (quæ etiam ipſa ignota erat) nomine noſtram quoque veniſſe [5] *Britanniam*. Ex hac autem Veterum *incertitudine* ortum, ut commentitias plane *fabellas* de hac *Taprobane* finxerit *Iambulus*. Sic enim cenſet [6] *Lucianus*. Et tamen ipſas illas *fabellas* ſequitur *Diodorus*, qui bonos quidem Auctores, infirmo tamen ipſe *judicio*, uſurpavit. Similes erant etiam de *Thule fabulæ*, non *Pytheæ* modo *Maſſilienſis*, verumetiam [7] *Antonii Diogeniani*. Similes *Euemeri Meſſenii* fabulæ de *Panchaia*, & (qui illius fidem minus, quam *Diodorus Hiſtoricus*, abſurde ſequebatur) *Poëtæ Ennii*. Erant enim & *illæ* quoque *Inſulæ*, *fama* magis incerta *majorum*, quam certa aliqua *Traditio*-

1 *Plin.* N.H. VI. 22. 2 *Mel.* III. 7. 63. 3 *Plin.* VI. 22. 4 Annal. *Quintil.* §. 22. 5 Annal. *Stat.* §. 57. 6 *Lucian.* Ver. Hiſt. L. I. 7 Ap. *Phot.* Bibliothec.

*N *nis*

nis fide, exploratæ. Docent hæc quam non necesse esset ut *Ptolemæum* sequeretur noster, ducem (ut vidimus) his in rebus adeo imperitum.

§. 12. Hujus *utriusque Taprobanes* notas confundit *noster*, proinde *Ptolemao* saltem *coævus*. Quod facit etiam *Marcianus Heracleota* Ptolemæo *junior*.

Utcunque tamen *ejusdem nostrum* fuisse, cujus *Ptolemæus*, *ætatis*, vel ex illis colligo quæ de hac *Insula* scribit *Taprobana*. Communem enim ille cum *Ptolemæo* errorem habet, quod *Insulam Palæsimundi* similiter ipse cum *Taprobana* confuderit, atque *Ptolemæus*. Nec enim certe illum de *Pliniana* loqui *Taprobana*, sed de *Ptolemaïca*, situs ipse docet qui *Taprobanæ* à *nostro* assignatur. Ait quidem Insulam illam, quæ ἀρχαίοις αὐτῶν *Taprobane*, tum raro *Palæsimundi* appellabatur, *Indiæ continenti* πρὸς αὐτὴν τὴν δύσιν fuisse. Quæ nota *Taprobanes Plinianæ* est, quam revera *Palæsimundi* fuisse diximus. Sed reliquæ omnes *Ptolemaïcæ* sunt. Ponit enim illam noster *post* Regna *Ceprobotis* & *Pandionis*, & ex *adverso Azaniæ Æthiopicæ*. Quæ *Ptolemaïcæ Taprobanæ* magis respondent, quam *Plinianæ*. Vixit ergo scripsitque noster postquam *novam* (quæ *Ptolemæi* ætate credebatur) *Taprobanen* reperissent *mercatores*. Proinde potius tempore *Ptolemæi*. Nec enim est quod miremur *duarum Taprobanarum* notas ab eo invicem esse permistas. Fecit hoc idem *Marcianus Heracleota*, quem certum est scripsisse post *Ptolemæum*. En verba. [1] Ἑξῆς δὲ τούτων ἐστὶν ἡ Ἰνδικὴ ἡ ἐντὸς Γάγγου ποταμοῦ κειμένη, ἧς κατὰ τὸ μεσαίτατον τῆς ἠπείρου νῆσος κατ' ἀντικρὺ κεῖται μεγίστη Ταπροβάνη καλουμένη. Quod *mediæ Indiæ Taprobanen* opponit, *Plinianæ Taprobanes* nota est, non *Ptolemaïcæ*. Et tamen, quo loco de *Taprobane* [2] agit ex professo, *Ptolemaïcam* describit, non *Plinianam*. Imo *Ptolemæum* testem advocat, eumque *sequitur*, etiam *errantem*. Insulam ille *Palæsimundi*, similiter ac ipse *Ptolemæus*, cum *Taprobane* eandem censet, & *Salicam* suo seculo appellari scribit. Hæc illi scilicet ex Auctoribus qui *notas* duarum ediderant *Taprobanarum*, quas illi ad *unam* eandemque retulerunt, quod fecit ipse *Ptolemæus*. Hoc uno discrepat à *Marciano* noster, quod nomen *Taprobanes*, quo insignitur à *Ptolemæo*, omnium recentissimum, non *negarit* quidem, sed duntaxat *omiserit*. Sic tamen ille, ut quæ scribit omnia verissima esse possint, etiam pro sententia ipsius *Ptolemæi*. Ait [3] noster: νῆσος λεγομένη Παλαισιμούνδου, παρὰ δὲ ἀρχαίοις αὐτῶν Ταπροβάνη. Non ait ἡ νῦν λεγομένη. Sic enim recentiorem illam Σαλικῆς appellationem fortassis *exclusisset*. Intelligit ergo λεγομένη ποτέ. Nec enim *nuperæ*, sed *antiquæ*, *Palæsimundi* illam appellationem opponit: illi scilicet, quæ παρὰ ἀρχαίοις αὐτῶν in usu fuerat. Nihil

1 *Marcian. Her.* p. 14. hujus Ed. 2 p. 26. 3 Peripl. Mar. *Erythr.* p. 35.

hil obstat quo minus, pro nostri quoque Auctoris sententia obsolevisse potuerit appellatio illa *Palæsimundi*, modo non fuerit Insulæ nomen *antiquissimum*. Nihil hic video quod non potuerit ab ipso dici *Ptolemæo*. Erat enim nomen *Palæsimundi* in illa *Insula* (dum pro *Taprobane* haberetur) longe celebrius. Imo cum *Salica* appellaretur, jam ad *aliam Insulam* transierat nomen *Taprobanes*. Merito ergo nomen illud *omitti* potuit, cum de *Taprobane* ageretur. Imo *rectius* ab *illo* potuit *reticeri*, quam à *Ptolemæo memorari*.

§. 13. Noster *Veterum* errores nullos correxit è *coævis*.

Sic autem noster *antiquos*, quos excerpsit, cæca fide est secutus, ut sæpe nullos *coævos* sibi testes de rebus iisdem consuluerit. Constat hoc è *fabulis erroribusque* admodum crassis, qui non modo è *Ptolemæo*, sed è quovis alio *recentiori* earundem regionum lustratore, poterant redargui. *Indum* ipsum fluvium *Sinthum* [1] appellat noster, cum tamen *Sinthonem* secundum ejus ab occidente *ostium* tantummodo testetur fuisse *Ptolemæus*. Sed vero *Indum ipsum*, non *unum* ejus duntaxat *ostium* à *nostro* intelligi, exinde constat; quod *septem ostia* sui agnoscat *Sinthi*, qui numerus est *ostiorum Indi* apud *Ptolemæum*. Hoc ille hausit è *juniorum* inventis, cum vix plura *duobus Indi ostia* innotuerint *antiquioribus*. Docet quidem [2] *Plinius*, *Indum* ipsum *Sindum* ab *incolis appellatum*. Sic enim è *MSS.* lectionem restituit Cl. *Harduinus*, cum antea *Sandus* legeretur. Inde fortasse *Sinda* oppidum, & *Sindi* Populus, & regio *Sindice*. Sed magis, ut opinor, ab illo *Indi ostio*, quam ab ipso *fluvio Indi*. Ut tamen *Indus* nomen illud apud *indigenas* obtinuerit (ut vult *Plinius*) sic nihilominus loqui videtur *noster* quasi *fluvium* illum longe omnium celeberrimum, à quo *Indi* universi nomen acceperint, ipse nesciverit. Ait enim suum illum *Sinthum* fluviorum, qui in *Mare Rubrum* influerent, esse *maximum*, quod sane dubium apud Lectorem esse non potuit, si *Indum* illum fuisse meminisset. Nec erat sane cur *nomen* fluvii longe *notius* reticeret, si ipse exploratum habuisset. Ait præterea [3] *Plinius* ex *Onesicrito* & *Nearcho*, classem *Alexandri* ab *hydris marinis* esse *territam*. Noster eandem fabulam, ut à vetustioribus acceperat, repetit de [4] *serpentibus* in hoc *mari* natantibus. Nec potuit *Cayamanos* intelligere, aquarum potius *dulcium*, quam *marinarum*. Idem thuris [5] *Divinam* quandam *custodiam* narrat in sinu *Sachalitico*, plane qualem acceperat à *fabulatoribus*. Vix potuit certe toties Veterum *fabulas*, quasi *veræ* fuissent, Lectoribus suis propinare, si narrationes eorum *fabulis* refertissimas ipse ad *juniorum* accuratiorumque *testium* fidem

1 Peripl. Mar. Er. p. 21. 22. 2 *Plin.* N. H. VI. 20. 3 *Plin.* N. H. VI. 23. 4 Peripl. p. 23. 24. 31. 5 Peripl. p. 19.

exegiſſet. Tantum abeſt ut hoc ipſe fecerit, ut ne quidem profeſſus fuerit, quod tamen facere ſolent Scriptores accurati. Nuſpiam ille *mercatorum coævorum* fidem appellat, cum tamen continuum eorum in his partibus *commercium* agnoſcat. Nuſpiam ille vel *Scriptorum delictum* profitetur, ut *recentiſſimos accuratiſſimoſque* eum excerpſiſſe crederemus. Ne quidem unicum deceſſorum *errorem* ipſe correxit, quos tamen vidimus, in hac ſaltem *Geographiæ* parte fuiſſe *frequentiſſimos*. Nec *ſua* unquam *Perſona* loquitur, aut *ſua fide* quidpiam obtendit, quod facit in *Euxini* Maris *Periplo* ipſe *Arrianus*, quaſi ſua aliqua αὐτοψίᾳ, aut ſaltem αὐτοπτῶν *teſtimoniis*, illa didiciſſet. Proinde *Scriptis* eum omnia debuiſſe veriſimillimum eſt, & fide prodidiſſe *aliena*. Nihil ergo eſt cur cultum omnem, qui à *coævis* ſuis hauriri potuerit, ab hoc noſtro (quicunque demum is fuerit) Auctore exſpectemus. Male ergo illum *Ptolemæo antiquiorem* colligit fuiſſe *Salmaſius*, quod non omnia complexus fuerit, quæ diſcere potuit à *Ptolemæo*. Hac certe *Indiæ* mercatura *florente* ſcripſiſſe ex ipſo manifeſtum eſt, qua fretus multa potuit, quod non fecit tamen, *emendare*. *Marci* tempora *Ptolemæum* attigiſſe docet *Suidas*. Noſter *flexum* illum oræ *Indiæ* maritimæ in *orientem* nullum agnoſcit qualem deſcripſit *Ptolemæus*: proinde certiores ipſo *Ptolemæo* duces ſecutus, & Geographico *Ptolemæi* Opere fortaſſe *junior*. Hoc tamen ante *Ptolemæum* innotuerit oportet, cum exinde emanarit ut *alium* Auſtralioremque *Taprobanæ* ſitum quæſiverint mercatores. Male ergo *Ptolemæus* vetuſtiorum chartas cum juniorum narrationibus commiſit. Noſter autem *Sophiſtæ* potius operam præſtitit, quam *mercatoris*; *Excerptoriſque* potius, quam *excultoris*. Nec ſane neceſſe eſt, ut etiam *editum Ptolemæi* Opus conſuluerit *Scriptor* quilibet *Alexandrinus*. Multa enim iſtiuſmodi exempla Secula omnia ſuppeditant *neglectorum* ejuſdem Argumenti *Scriptorum*, quantumvis *celebrium*.

§. 14. Quod *Regum* eorundem meminerit *noſter*, quorum meminit *Plinius*; non proinde ſequitur illum *Plinio* fuiſſe *coævum*.

Sed alio pugnat Argumento *Salmaſius*, quod ipſe *invincibile* appellat. Id quidem ſi tale fuiſſet, jam nihil eſſet quod in contrarium obtenderemus. Sed non eſt certe illud Argumentum, ut cenſuit Vir celeberrimus, *invictum*. Ait quidem *Plinius* Regem in *India*, dum illa *proderet*, fuiſſe *Ceprobotem*. Ait idem de finitima regione: *Ibi regnat Pandion*. Amborumque meminit ſimiliter qui Maris *Erythræi* Periplum ſcriptis mandavit. Ideone ſequetur *invicte coævum Plinio* fuiſſe *Peripli* Auctorem? Hoc ſi admittatur, erit præterea *Plinio* coævus *Ptolemæus*, qui etiam ipſe *Regis* utriuſque meminerit, tam *Ceprobotis*, quam *Pandionis*. Vidit hoc miratuſque eſt in *Ptolemæo* ipſe *Salmaſius*, obſervavitque proinde

Ptolemæum

Ptolemæum prisca Urbium & jampridem exoleta *nomina*, quasi sua etiamnum ætate superessent, sæpe memorare. Hoc autem si licuit *Ptolemæo*; cur, quæso, idem non licuit Auctori *Peripli* Maris *Erythræi*? Si *Ptolemæus* hoc Argumento *Plinio coævus* non probetur, non erit propterea cur *Peripli* Auctor *Plinio coævus* existimetur. Ita nihil valet invictum *Salmasii* Argumentum. Hoc unum erat quod inde rite colligi posset, *Plinio antiquiorem* esse non potuisse, qui *Regum* meminerit *Plinio* coævorum. Perperam ergo *Augusti* temporibus *Cæsaris* illius Expeditionem tribuit, cujus *noster* meminit, cum tot annis *antea* mortuus fuerit *Augustus*, quam vel *nasceretur* major ille *Plinius*. Nulla autem *verba* habet Scriptor *Peripli*, quæ *coætaneos* sibi *Reges* illos fuisse vincant, magis quam ipse *Ptolemæus*.

§ 15. Sæpe *nominibus* Regum, qui *olim* decesserant, *Regiones* solent designare *juniores*.

Non scilicet occurrebat viro alioqui sagacissimo, ita *Periplorum* veterum *Itinerariorumque* Auctores excerpere solere *juniores*, ut loca iisdem *appellationibus* designent, quibus in *vetustioribus*, quorum fidem sequebantur, Auctoribus designata repererant. Hoc est scilicet quod in *Ptolemæo* adeo miratus non tamen intellexit *Salmasius*. Alpes *Cottias* multi memorant Scriptores, qui postea scripserunt quam desierat in vivis esse *Cottius*. Nempe, ut videtur, quod in *Rationario Imperii*, quod *Senatui* redditum testatur ab *Augusto* [1] *Suetonius*, Alpes illas hoc *nomine* censitas repererant. Similiter se res habebat in Regnis *Rhœmetalcis* & *Rhascuporidis*, & in ejusmodi Regnis *aliis*, dum *Rationaria* conficerentur, cum haberent *Romani instrumenta servitutis & Reges*. Ad *Imperium* enim *Romanum* spectare censebantur *Regna* istiusmodi *adsignata*. Ita in locis, quibus, *post* Reges istiusmodi defunctos, mutationes erant *exploratissimæ*. Magis autem consentaneum erat, ut hoc idem observaretur in Regionibus cum quibus *rara* erant *commercia*, quales hæ sunt in quibus jam versamur. Hic enim necesse erat ut ex *ultimis* Itinerariis, utcunque *antiquis*, describerentur, dum *nova* alia suppeterent *Itineraria* quæ res illarum *nuperrimas* patefacerent. In his facillimum erat, ut de *Regibus*, qui *Itinerariorum* temporibus vixerant, perinde loquerentur Itinerariorum *Excerptores*, ac si adhuc Excerptorum *ætate* viverent: quod scilicet de *Regum* illorum *posteris* nihil compertum haberent *Excerptores*. Nec sane aliter se res habebat in his, de quibus agimus, *Indiæ* Regibus, *Ceprobote* & *Pandione*. Nulla erant *Romanis* cum illis Regnis *continua* commercia, nisi sub illis Principibus cum quibus erat firma *amicitia*. Junioribus ergo Geographis illa erant Itineraria excerpenda, è quibus primum innotuerant *Romanis Ceprobotes* &

1 *Suet.* Aug.

Pandion,

Pandion, dum nova alia prodirent, quæ *posterorum* mutationes proderent.

§. 16. *Indica* Navigationis *compendium* sub *Claudio* invenit *Hippalus Alexandrinus*.

Prima hæc tam lucrosæ mercaturæ hujus *origo* cœpit illa quidem, ut vidimus, sub *Claudio*. Exculta tamen postea est, ut, cum scriberet *Plinius*, tum demum magna ceperit incrementa. Primum tamen *Indiæ* Regem, qui *legatos* misit ad *Claudium*, *Palæsimundum* fuisse probavimus, non *Ceprobotem*. Stabilita autem cum *Palæsimundo* amicitia, ita demum ad *ulteriora* progressa est, ut *Vespasiano* tandem Imperante Regnum attigerit *Ceprobotis*. Navigationis autem *compendium* primum, ait *Peripli* [1] Auctor, invenisse *Hippalum*, & ventum etiam annuum *Libonotum*, qui eodem tempore in mari *Indico* spirarit, quo, apud *Ægyptios Alexandrinos*, Mediterranei Maris, qui ab *alio* tamem Cœli *cardine* spirabant, *Etesiæ*. Inde *ventus* ille nomen accepit *Hippali*, ut legitur apud *Plinium* hodiernum. Legatio illa *prima* primis fuerit fortasse *Claudii* temporibus, quæ desiderantur apud *Tacitum*. Potuitque adeo & illa quoque *maritimi* itineris exploratio ab *Hippalo* Nauclero, ipsa quoque in *Claudii* tempora quadrare. Facit ut ita rem fuisse suspicemur, quod *Hippali* mentionem nullam reperiamus inter Auctores, è quibus Librum illum *Plinius* excerpserit, sed tantummodo *Claudii*. Satis enim consentaneum est, susceptum auspiciis *suis* cursum maritimum integrum, qualem illum ab *Hippalo* acceperat, in Libros suos retulisse *Claudium*. Si autem *post Claudium*, compendium illud navigationis reperisset *Hippalus*, certe vel *Hippalum* ipsum, vel sequentem aliquem *Principem*, sub quo navigarat *Hippalus*, inter hujus Libri Auctores retulisset *Plinius*. Certe *Hippali* Personæ conveniunt examussim hujus *Itinerarii* notæ. Nomen ipsum illum *Alexandrinum* fuisse prodit, nec *Romanum* scilicet, nec *Ægyptium*, sed plane *Græcum*, qualia erant *colonorum Macedonum Alexandrinorum*. Recte ergo *Etesias* illos Maris *Erythræi Libonotos* Mediterraneis παρ' ἡμῖν (sic enim loquitur) *Etesiis* opponit, quibus *Nili* incrementum Veteres tribuebant. Nec opus erat cur aliam causam comminisceretur *Salmasius*. *Alexandrinorum* enim, ex ipsis *Itinerariis*, quæ ab ipsa *Alexandria* mansiones arcessunt, omne illud cum *India* constat fuisse commercium, ad *Nili* ostia sitorum. Idem exinde colligitur, quod *tempestates* navigationi idoneas Itinerarii Auctor *mensium* nominibus designarit *Ægyptiis* quidem, non tamen *Ægyptiorum indigenarum*, sed *colonorum Alexandrinorum*: *fixis* nimirum, non *vagis* (ut volebat *Harduinus*) atque *mobilibus*. Nec enim alii usibus *Nauclerorum* futurorum inservire poterant, nec cum mensibus *Romanis Solaribus* com-

1 Peripl. p. 32.

poni

poni (penes quos ipsorum *Alexandrinorum* erat Imperium) ut à *Romanis* mercatoribus *fixæ* illæ navigandi *tempestates* intelligerentur. Componit autem cum *Romanis* mensibus menses illos *Alexandrinos*, non *Peripli* Auctor solus, verumetiam ipse *Plinius*. Sed non pariter incipiebant atque desinebant menses *Romani* atque *Alexandrini*, etiam *fixi*. Inde factum, ut cum *duobus* mensibus *Romanis* contendi potuerit mensis quilibet *Alexandrinus*: alio, quo non quidem *incipiebat* mensis *Alexandrinus*, sed cum quo tamen *pars* ejus longe *maxima* concurreret; alio autem quo *incipiebat*. Priori modo supputat Auctor *Peripli*, apud quem *Thoth Septembri*, *Tybi Januario*, *Epiphi Julio* respondet. Quod scilicet *Thoth Augusto* cœptus, paucis tamen admodum diebus exceptis, cum *Septembri* concurrerit, & sic in reliquis. Estque sane hic modus comparandi longe *accuratior*, magisque idoneus qui ab ipsis usurparetur *Alexandrinis*, tam *Romanis*, quam *Ægyptiis*. Et magis adeo idoneus qui ab ipso *Hippalo*, & à *Peripli* Auctore, adhiberetur, quem fuisse suspicamur *Alexandrinum*. Posteriori modo *Plinius* menses *Alexandrinos* cum *Romanis* conferendos censuit, non quibus *maxima* sui *parte* concurrerint, sed quibus *cœperint*, quod fugit tamen Cl. *Harduinum*. Sic enim *Tybi* cum *Romano* contendit *Decembri*, *Mechir* autem cum *Januario*. Quod scilicet *Tybi Alexandrinus Romano Decembri* semper *inierit*, sed *desinente*; *Mechir* autem *inierit Januario*, sed similiter ipso quoque *desinente*. Sic enim ipse (cui accurata mensium *Alexandrinorum initia* non erant explorata) cautissime se processurum credidit, si menses *Alexandrinos integros* mensibus *Romanis*, quibus *inierint*, *integris* composuisset. Gravissimo, ut ex hoc ipso loco constat, *errore*. Male enim *Mechiris* diem *sextum* intra *Idus* concludit *Januarias*: quasi nimirum, quia *Januario Romano* cœpit *Mechir*, proinde *sextus* dies *Mechir sexto* respondisset diei *Januarii*. Ita certe videtur sensisse *Plinius*, cum intra *Idus Januarias sextum Mechiris* fuisse colligit, quod à *sexto Januarii* die *Idus* numerari solerent, pro more *Romano*. Par huic exemplum erat cum *menses* eosdem *Romanos* nunc *Signis* tribuerent Veteres quæ mense designato *inirentur*, nunc viceversa illis quæ eodem mense fuissent *expleta*.

§. 17. Habet noster alia *Hippalo*, ipsoque *Plinio* recentiora.

Hausit ergo multa noster ex his *Claudio* coævis originibus. Habet tamen & alia illis originibus *recentiora*, quæ illum *Plinio* juniorem fuisse vincant. *Portus*, unde cœperint navigationes *Indicæ*, numerat [1] *Plinius* tantummodo duos: *Ocelim* & *Canen*, utrumque in *Arabia*. Alium habet inter eos *medium* Auctor *Peripli* in *Arabia*, qui ipse proprio quodam no-

1 *Plin.* N. H. VI. 23.

mine [1] *Arabiæ felicis* fuerit appellatus, cujus nulla prorsus mentio apud *Plinium*. Et tamen usum ejus frequentissimum fuisse testatur antea quam à *Cæsare* vastaretur. Facile vel inde colligimus *juniorem Plinio* illum fuisse *Cæsarem*, qui *portum* hunc florentissimum è *felici desertum* fecerit, qui tamen, scribente *Plinio*, ne quidem *felix* esse cœperit. Addit [2] *Peripli* nostri Auctor alium, in ipsa *Africa*, portum, *Aromatum*, in *cognomine* situm *promontorio*, cujus vel usum *Plinio* juniorem fuisse verisimillimum est. Et sane *aliter* scribit hujus *Peripli* Auctor quam in Periplo *Euxini* Maris *Arrianus*. In *Euxini* Maris *Periplo* partes habuit Auctor in navigatione præcipuas, resque adeo prodit sibi exploratas, nec aliena fide nitentes, ut jam supra observavimus. Noster è contra Maris *Erythræi* descriptor ita loquitur, quasi qui nihil fide *sua*, sed *aliena* fide narraret omnia. Non esset ergo cur miraremur, si, qui sua è fide collegerit *aliena*, notas temporis habuisset à *suis* (quibus vixit ipse) temporibus *alienas*. Sed nihil est necesse ut, hac in causa, eo confugiamus.

§. 18. *Ceprobotis* & *Pandionis* nomina in *Regnis* illis fuisse videntur *hereditaria*.

Jam enim supra observavimus, solenne fuisse apud *Indos*, ut ditionum earundem *Reges* eodem *nomine* appellarentur. Sic potuit tam *Plinius* quam *noster* coævos sibi habere *Ceprobotes* atque *Pandionas*, nec tamen propterea *sibi* invicem fuisse *coævi*. Prævidit hoc *Salmasius*. Non vidit autem quæ jam diximus de recepto apud *Indos* more. Opponit tamen quæ habet noster de *Callienes* Regibus, *Saragano seniore* atque *Sandace*, multisque aliis Regibus proprio quibusque *nomine* hoc opere memoratis. Maxime autem ad causam illius fecit hoc exemplum, quo diversa habemus *nomina decessoris* atque *successoris*. Sed ad aliam spectat *ditionem*, non autem has *Ceprobotis* atque *Pandionis*. Poterantque apud *Indos* diversi fuisse *mores*. Nec sane loco illo quo *portus* erat *Callienes Regnum* aliquod reperimus apud *Ptolemæum nostrumve*, aut *Regiam* à *Rege* denominatam. Et tamen in ipsis illis locis, quibus *hereditaria* erant *Regum* nomina, propria illos ἐκ γενετῆς *nomina* retinuisse vidimus. Sic erat *Sandrocottus Palibothrus* ad quem venerit *Megasthenes*. Sic *Mophis*, vel *Omphis*, quem *Taxilorum* corona ornavit *Alexander* Magnus. Atque his *Natalium nominibus* additis *secreverunt* invicem, ni fallor, *Indi* Reges suos earundem ditionum *cognomines*. Erat enim plane necessarium ut *Regum* etiam *cognominum* gesta nihilominus invicem *secernerentur*. Poterant ergo is quoque *Saraganus* atque *Sandaces*, præter nomina *natalitia*, aliud tamen habere *Imperii* ditionisque *commune* nomen. Noster autem voluit illos invicem *distinguere*, quod *Natalitiis nominibus* erat faciendum.

1 Peripl. p. 14. 2 Peripl. p. 7. 8.

Si

§. 19. Ita ni fuisset, *Pandion* certe non *Plinii* vixerit temporibus, sed *Augusti*.

Si autem à *Natalitiis*, non vero *hereditariis*, Regum *nominibus* appellatæ fuerint illæ *ditiones*; male pro concesso sumit *Salmasius*, Reges illos fuisse coævos. Fuerit enim *Plini* tempore *Ceprobotes*, non tamen fuit certe is *Pandion*, à quo Regnum *Pandionis* in *India* appellabatur. Hic enim certe legatos ad ipsum misit *Augustum*. Ita [1] *Græca Eusebiana Scaligeri*. Τότε καὶ Πανδίων ὁ τῶν Ἰνδῶν βασιλεὺς ἐπεκηρυκεύσατο φίλος Αὐγούστου γενέσθαι, καὶ σύμμαχος. Utinam indicasset *Scaliger* unde hæc & reliqua quoque omnia hauserit, quæ ipse venditat pro *Eusebianis*. Ne autem de his dubitemus, facit testis *Eusebio* ipso quantumvis *genuino* major *Strabo*. Ejus hæc sunt verba in hanc sententiam disertissima: [2] Καὶ ἐκεῖθεν δὲ ἀφ' ἑνὸς τόπου καὶ παρ' ἑνὸς βασιλέως Πανδίονος καὶ ἄλλου Πώρου, ἧκεν ὡς Καίσαρα τὸν Σεβαστὸν δῶρα καὶ πρεσβεῖα, καὶ ὁ κατακαύσας ἑαυτὸν Ἀθήνησι σοφιστὴς Ἰνδός· καθάπερ καὶ ὁ Κάλανος Ἀλεξάνδρῳ τὴν τοιαύτην θέαν ἐπιδειξάμενος. Firmat hæc præterea *Templum* illud *Augusti*, cujus meminit è Tabula *Peutingerana Salmasius*, quod certe longe ab eo loco distare non potuit, quo Regnum illud *Pandionis* à *Veteribus* collocatur. Et quidem *duplex* erat illa ad *Augustum* legatio, cujus utriusque *tempus* habemus exploratum. Prior Bello *Cantabrico*, quam *Tarracone Augustus* accepit, teste [3] *Orosio*. Nempe anno post cædem *Julii* XVIII°, ut vult *Hieronymus* potius quam *Eusebius* in Chronico *Eusebiano*. Is erat *Varr*. 728. Nec sane id incommode. nam VIII^m *Consulatum*, quem gessit anno illo 728, & IX^m, quem sequenti anno gessit 729, *Tarracone* illum *inivisse* docet [4] *Suetonius*. Mense ergo *Januario Tarracone* hyemavit, & in *hibernis* legationem illam ab *Indis* accepit. *Secundam* deinde legationem anno *Varr*. 734 assignat [5] *Dio*, quo tempore *Sami* hyemavit *Augustus*. Hos vidit, ni fallor, legatos *Nicolaus Damascenus Antiochiæ*, (*Samum*, ut videtur, petentes) teste [6] *Strabone*. Multis autem antea, quam nasceretur *Plinius*, annis, *utraque* illa erat legatio, & multis proinde illo *annis* antiquius erat *Regnum* illud *Pandionis*. Quare si *unicus* fuerit *Pandion*, necessario emendandus erit locus *Plinii*, & pro [7] *Ibi regnat Pandion*, reponendum, vel *Ibi regnavit Pandion*, vel, *Ibi regna Pandionis*. Nihil certe ibi habet de *tempore* quo illa *prodebat*, ut in causa *Ceprobotis*. Sed magis eò propendeo, ut *hereditarium* fuerit illius *Regni* nomen, nec proinde *temporis* certi nota sit, quod satis erit ad convellendum Argumentum *invincibile Salmasii*.

1 *Eus*. Chr. Gr. Ed. Amst. p. 75. 2 *Strab*. Geogr. L. XV. p. 686. 3 *Oros*. VI. 21.
4 *Suet*. Aug. 25. 5 *Dio* L. LIV. 6 *Strab*. L. XV. p. 719. 7 *Plin*. L. VI. 23.

*O DISSER-

DISSERTATIO QUINTA.

De *ætate* Epicteti *atque* Arriani, *conscriptique ab* Arriano *Peripli Maris* Euxini &c.

§. 1. Sub *exitum Hadriani* de Mari *Euxino* scripsit *Arrianus*.

SCripseram quidem de hoc Maris *Euxini Periplo* nonnulla, cum de Periplo Maris agerem *Erythræi*: sed pro *modo* quem concessit nata in *alieno* Opere occasio. Jam paulo agam accuratius. Sub *Hadriano* scriptum fuisse docet ipse titulus. Sed propius *initio* Hadriani scriptum tum arbitrabar, quod quidem *Reges* harum partium finitimi à *Trajano* dati etiamnum essent in *vivis*. *Unicus* autem is erat, quem memoravit *Arrianus*, Rex *Apsilarum* [1] *Julianus* à *Trajano* designatus; [2] plures autem idem refert, quos fecerit *Hadrianus*. Et *Trajani* Imperio *exeunte* factos fuisse verisimillimum est, quos ille *Reges* dedit, cum jam *victoriæ* illius in *Oriente* fecissent ut *vicini*, & tam *Parthis* quam *Romanis* finitimi, à *Romanis* diademata libentius quam à *Parthis* acciperent. Antea certe causam *Trajano* Belli in *Parthos* dedit, quod *Armenia* à *Parthis* Regem accepisset. Tum ergo vel *inde* vincitur, nondum *Romanorum* tantum in his partibus fuisse *terrorem*: proinde *multos* ab *Hadriani initio* annos elapsos esse necesse est, cum jam *plures* essent ab eo, quam à *Trajano*, Reges.

§. 2. *Arrianus*, cum hæc scriberet, *Provinciam* habebat *Cappadociam*.

Erat autem certe *Arrianus* ipse, cum hæc scriberet, in *Imperio*, & *gladii* jure ornatus. Hoc indicant *militum* sub eo [3] *exercitia*, & ab eodem soluta [4] *stipendia*: hoc etiam [5] *navium* ab eodem assignatæ *stationes*: hoc [6] *munitionum* illa, quam profitetur, cura: hoc etiam rei [7] *annonariæ*: hoc quod *Sannos* tributa recusantes à se [8] *exterminandos* minatur, ni pactis starent, fidemque à se obligatam liberarent: hoc denique quod [9] *aras* à se in Provincia positas fuisse doceat, & quod [10] *statuas* in honorem Principis dedicandas ad se mit-

1 Peripl. p. 12. 2 P. 12. 19. 3 P. 3. 11. 4 P. 6. 11. 5 P. 5. 6 P. 6. 9. 10. 7 P. 6. 8 P. 11. 9 P. 2. 10 P. 2.

tendas

tendas esse moneat. Nec sane oram Ponti *Euxini universam* à *se* lustratam obtendit, sed à *Trapezunte* tantummodo ad *Dioscuriada*, quæ etiam *Sebastopolis* fuerit appellata. Aliam omnem oram inde ad *Bosporum Cimmerium*; rursusque inde ad *Byzantium*, *Bosporumque Thracium*, non *sua* fide narrat, sed *aliena*. Et ne quidem à *Bosporo Thracio* ad *Trapezuntem* oram innuit à se fuisse *navigatam*. Cur ita, quæso, si Pontum *Euxinum universum* auspiciis *Hadriani* lustrandum suscepisset? Cur ita, inquam, si *classis* potestatem *alibi* habuisset quam in suæ *Provinciæ* ora tantummodo *maritima*? Cur denique à *Trapezunte* Periplum hujus *Maris* inciperet, quem alii plerique à *Bosporo* potius incipiunt *Thracio*, nisi quia ab illo demum portu usque ad *Dioscuriada* terræ pariter ac *maris*, potestatem habuisset? Obnoxios sibi in hac omni *ora* fuisse *milites* ipse indicat. Abruptum hoc, quod à *Trapezunte* petebatur, exordium credebat *Stuckius*: quod scilicet, non occurrerit, hos *Provinciæ*, cui præerat *Arrianus*, fuisse *limites*. Facilis autem erat *universi Peripli* occasio, cum jus rei *Nauticæ* eousque ipse, pro *Provinciæ* jure teneret, si *reliquas Euxini* Maris *oras* sigillatim, *aliorumque* fide narratas, adjunxerit. Certe *Flavium Arrianum* sub *Hadriano Cappadociæ* præfuisse testatur [1] *Dio*, quem alium à nostro non fuisse verisimillimum est: nam *Trapezuntem* nunc *Ponto* [2] *Cappadocio*, nunc [3] *Cappadociæ* ipsi accensuit *Ptolemæus*, qui *proximus* nostri temporibus vixit *Arriani*. Itaque hoc *Seculo* ad Pontum usque *Euxinum* pertigit, *Pontique* regionem complexa est *Cappadocia*, & *Tibareniam* & *Colchida* usque ad Urbem, quam dixi, *Dioscuriada*. *Pontum* sæpe Provinciam suam ipse appellat *Arrianus*, p. 4, 5. In eo *Ptolemæo* consentaneus, qui *Pontum* appellat *Cappadocium*. Sic autem scribit de *Athenis*: Εστι γάρ τοι κ̀ ἐν Πόντῳ Εὐξείνῳ χωρίον ὅτω καλούμενον. De *Regione* loquitur, quæ *Ponti* nomine veniebat, non de *Mari*. Idem paulo postea dicit *ventum*, qui in *Ponto Thrascias* appellabatur, in *Græcia Scironem* esse appellatum. Ait denique lignorum ναυπηγησίμων ἀφθονίαν fuisse κτ̀ τὸν Πόντον: propter navis quam passus fuerat jacturam. De *sua* utique rursus intelligendus *Provincia*. Nam eousque jam pertigisse vidimus provinciam *Arriani*. Hos autem hujus Provinciæ *limites* Trajani *victoriis* debebant, ut existimo, *Romani*. *Colchos* certe ab eo subactos referunt *Rufus Festus* & *Eutropius*. *Seculi* ergo saltem, quo hæc gesserit *Arrianus*, notam in his ipsis *Provinciæ* hujus *finibus* tenebimus.

1 *Dio* L. LXIX. 2 *Ptolem.* Geogr. L. VI. c. 6. 3 *Ptolem.* Geogr. L. VIII. *Asiæ* Tab. I.

§. 3. *Cappadocia* anno *Hadriani* XX° præerat *Arrianus*.

Tempus autem quo hanc *Provinciam* his *limitibus* circumſcriptam tenuit *Arrianus*, ex ejuſdem *Tacticis*, ni fallor, colligemus. Scripſit illa anno *Hadriani* XX°. [1] ἐς τήνδε, inquit, τὴν παροῦσαν βασιλείαν, ἣν Ἀδριανὸς εἰκοστὸν τοῦτ᾽ ἔτος βασιλεύει. Verba ejus Imperium *Hadriani* deſignare videntur poſt *obitum Trajani*. Nam inde artem, de qua ibi loquitur *Arrianus*, *militarem* excoluit *Hadrianus*. Cœpit annus ille *Hadriani* XXmus anno Æræ noſtræ *Chriſtianæ* 136, *Aug.* XI°. Deſiit autem anno ejuſdem Æræ *Chriſt.* 137, *Aug.* XI° Medio autem tempore ſe ad ſcribendum de re *militari* accinxit *Arrianus*, cum jus *gladii* eſſet à Principe conſecutus. Convenit cum nobis *Arriani Dioniani* hæc etiam nota accuratiſſime. Confecto Bello *Judaïco* (nempe cum *Barcocheba*) Bellum *Alanorum* à *Pharaſmane* motum tradit [2] *Dio*. Qui idem addit, terrore *Flavii Arriani* fuiſſe repreſſos, qui tum *Cappadociæ* præerat. *Cœpit* Bellum illud in *Barcochebam* anno *Hadriani* XVII°, ſi Chronico *Euſebiano* fides. *Hegesippo* anno ejuſdem Principis XVIII°, teſte meliore, illiſque temporibus propinquiore, [3] *Ariſtone Pellæo*. Si tum fuerit illud in ἀκμῇ Bellum; ſequenti certe, qui annus erat *Hadriani* XIXus, *debellatum* fuiſſe conſentaneum eſt. Ita videmus quam apte motus illi *Alanorum*, & proinde *Præfectura* etiam *Arriani*, ad annum referantur *Hadriani* XXm. Scripſit *Arrianus Alanica*, teſte [4] *Photio*. Hujus nimirum *Belli*, ut videtur, occaſione. Et fragmentum illius Operis habemus hodieque de *acie* illa qua *Alanos* ad Pacem terruit *Arrianus*. *Arrianum* enim *ipſum* illius aciei fuiſſe ducem [5] mox oſtendemus. Nec ultra *terrorem* proceſſiſſe docuit, ut vidimus, ipſe *Dio*. Porro eundem illum, qui *Alanos* ad Bellum concitavit, *Pharaſmanem* in vicinia ſua *Zydritis* imperaſſe, cum de Mari hæc *Euxino* commentaretur, idem teſtatur [6] *Arrianus*. Nihil ergo eſt cur dubitemus quin idem fuerit *Arrianus*, qui & *Cappadociam* moderatus fuerit, & *Bellum* geſſerit in *Alanos*, & qui *Tactica* ſcripſerit, & de Mari etiam *Euxino*. Addit *Dio Maſſagetas* fuiſſe hos, cum quibus res *Arriano* fuerit, *Alanos*. Fieri poteſt ut hoc quoque fuerit utcunque verum. At in illius Seculi Geographia *novum* fuiſſe ſuſpicor, quod aut *iidem* haberentur cum *Maſſagetis Alani*, aut *ſedes* tenuerint huic *Arriani Cappadociæ* propinquas. *Albanos* appellat, ut videtur, è *Dione Zonaras*. Eſtque ſane in his partibus *Albanorum* nomen, quam *Alanorum*, longe notius. Antiquitus omnes invicem *diverſiſſimos* fuiſſe conſtat è veteribus, tam *Ala-*

1 *Tactic.* fin. 2 *Dio*, ubi ſupra. 3 Ap. *Euſeb.* H. E. IV. 6. 4 *Phot.* Cod. LVIII. 5 §. 6. 6 P. 11.

nos

nos, quam *Albanos*, quam etiam *Massagetas*: imo ne *sedium* aliqua *propinquitate* conjunctos. Quod ergo tandem coaluerint, inde factum arbitror, quod *Massagetarum ultimi* in *has* sedes translati ab *Albanis* victi in *nomen* pariter *ditionemque* victorum transierint. Constat enim certe jamdiu intercidisse nomen *Massagetarum*. Et cum in *Albanorum* nomen deinde concessissent, facilis inde error erat, ut iidem *Alanorum* nomine intelligerentur: eorum scilicet qui *Albanos Asiaticos* non satis accurate ab *Europæis* distinxerunt *Alanis*. Hæc tamen obiter.

§. 4. *Initio* Præfecturæ ante Bellum cum *Alanis*, ann. *Chr.* 137, hunc *Periplum* scripsit *Arrianus*.

Cæterum *initio* gestæ à se Provinciæ hæc scripsit *Arrianus*. Cum nempe *primas* redderet Provinciæ à se administratæ (pro recepto officii munere) *rationes*. Ad illud certe *munus* spectare videntur γράμματα, quorum toties meminit, [1] Ῥωμαϊκά. Hoc enim exigebat ipsa Imperii *Romani* Majestas, ut ne alia *lingua*, quam *Romana*, conciperentur *formæ* omnes *rationum* solennes & legitimæ, seu *Principi* essent, seu *Senatui*, reddendæ, *Archivisque* publicis recondendæ: his nempe *Hadriani* temporibus, cum nondum in *Romanam* Civitatem recepti essent vel *Romani* Imperii cives *Græci*, quod postea factum à *Caracalla*; nec *novi* jam *Imperii* caput esset Urbs *Byzantina*, ipsa quoque olim stirpe *Græca*. *Literis* ergo *Romanis*, quæ *scriniis* Principis recondendæ erant, multo liberius de *arcanis* Hadriani *mandatis* se egisse ipse indicat *Arrianus*. Plane, ut decuit in *arcanis Imperii*. Nec in *literis Romanis* quicquam à Provinciæ *rationibus* alienum fuisse verisimile est. In illis itaque soli *Provinciæ* Paraplo locum fuisse consentaneum est, à *Trapezunte* scilicet usque ad *Dioscuriada*. Alibi certe nuspiam *literarum* occurrit vel mentio *Romanarum*. Si quid præterea ad illas literas accesserit, illud fortasse fuerit, ut *Provinciæ* suæ Paraplum à *Dioscuriade* ad *Bosporum* continuarit *Cimmerium*. Est enim sane ratio *Politica* cur eousque iter *maritimum* descripserit, siquam forte novam Expeditionem eò meditaretur *Hadrianus*, propter *mortem*, quæ nuper [2] contigerat, *Cotyos* Regis *Bosporani*: de qua propterea monendum duxit, pro officii ratione, *Hadrianum*. Suspicor ergo inter *Regna* Imperii Romani *adsignata* hoc tempore accensitum fuisse Regnum *Bosporanum*. Erat certe ætate etiam *Strabonis*. Illius verba sunt: Καὶ νῦν ὑπὸ τοῖς τῶν Βοσπορανῶν βασιλεῦσιν, οὓς Ῥωμαῖοι καθιστήσωσιν, ἅπαντά ἐστι. L. VII. p. 312. Inde similia monita de Rege *Bosporano* sub *Trajano* legimus, *Bithyniam* tenente *Plinio* juniore. L. x. Ep. 13, 14, 15. A *Byzantio* ad *Trapezuntem* Paraplum addiderit fortasse quem obierit ipse cum in Provinciam *veniret*. Id si verum; à *Roma* venerit, fueritque adeo

1 P. 6. 10. 2 P. 18.

Hadrianus

Hadrianus ipſe in *Italia*, cum mitteret *Arrianum*. Quod ſane anno Imperii xx° veriſimillimum eſt, cum de ſucceſſore *Ælio Vero* ageret *Hadrianus*. Obſtabat enim cauſa illa ne pedem ipſe ex *Italia* moveret. Reliquum Paraplum à Boſporo *Cimmerio* ad *Thraciam* non video cur addiderit *Arrianus*, niſi ut Maris illius *Euxini univerſi Periplum* abſolveret. *Nuperum* autem illius in *Provinciam* appulſum indicat *itinerum* illa tam accurata deſcriptio, quæ adeo opportuna non fuiſſet, ſi jam itineribus illis aliquandiu *aſſueviſſet*. Sic enim ſua etiam in Provinciam *itinera* nuper peracta deſcripſit *Cicero*. Sunt & alia quæ *nuperum Arriani*, cum hæc ſcriberet, *appulſum* fuiſſe doceant. *Sannas* ait πάλαι fuiſſe *tributarios*, tunc autem latrociniis intentos ſolutionem *neglexiſſe*; ſe autem operam daturum, ut vel ſolutionem præſtarent, vel è ſedibus [1] pellerentur. Hæc ad ſuam ipſe *contumeliam*, ſi, *ſe* gubernacula tenente, officio defuiſſent. Meminit etiam [2] *Pharaſmanis*: ſed nulla adhuc de eo *ſuſpicio*. *Alanorum* autem ne meminit quidem. Inde facile colligimus, *nullos* adhuc eorum fuiſſe *motus*. Cavet enim noſter ne quid *Hadrianum* celaret, quod Reipublicæ, ſi neſciretur, perniciem afferre poſſet. Inde tempeſtiva illa monitio de morte *Cotyos*. Recte ergo, ni fallor, *Arriani* adventum ad annum Æræ noſtræ *Chriſtianæ* 136^m^ *exeuntem* retulerimus, quo prædictum de re *Militari* commentarium ipſe ſcripſerit, cum primum *gladii* jus acciperet, nullo adhuc *hoſtis* manifeſti *metu*. Aliter fuiſſet, *hoſtium* mentio facienda erat, & diſciplinæ eorum *Militaris*, cum quibus rem geſturus erat. *Medio* enim anno *Roma* diſcedebant plerumque Provinciarum *Præſides*, ut è Legibus [3] *Claudii* de eorum diſceſſu ſatis apparet. Ita neceſſe erat ut anno *Juliano exeunte* in Provincias remotas, quales erant hæ, de quibus agimus, *Aſiaticæ*, venirent. Sub *Trajano* [4] *Plinius* xv Kal. *Octobris* venit in *Bithyniam*, quæ tamen propius aberat à *Roma* quam noſtri *Arriani* Provincia *Cappadocia*. Itaque ſi anno 137° *Auguſti* diem xi^m^ ſuperaſſet *Arrianus* antea quam in Provinciam appelleret, ſic annus fuiſſet *Hadriani* non jam xx^us^, ſed xxi^us^. Quare anno Æræ noſtræ venerit oportet 136. Illum enim certe diem elapſum eſſe cum veniret, ipſe innuit. Narrat enim, cum Provinciam præternavigaret, [5] *procellas* magnas. Et tamen nondum ὥραν ἔτους fuiſſe indicat, qua naves eſſent in portus ſubducendæ. Cæterum non longe illam abfuiſſe ipſo facto docuit, quod primo quoque tempore illas in portus ſubduxerit, [6] πρὶν παντάπασιν ἀγριωθῆναι τὴν θάλασσαν. Facile inde intelligimus paulo illum ante *Maris claudendi* tempus eo appuliſſe. Quod ſane cum xx° *Hadriani* anno concurrere non

1 P. 11. 2 P. 11. 3 *Dio* L. LX. 4 *Plin.* L. X. Ep. 28. 5 P. 4. 6 P. 5.

potuit

potuit alio Æræ nostræ *Christianæ* anno quam 136°. Proximo ergo anno 137° eruperit seditio *Alanorum*, concitante *Pharasmane*: ita scilicet, ut *Romæ* hoc nomine sub *Hadriano* accusatus [1] fuerit ipse *Pharasmanes*: ita ut ab *Hadriano Romam* invitatus ipse tamen sibi *conscius* venire [2] *contemserit*: ita ut vicissim *munera* ab ipso missa contemserit [3] *Hadrianus*: ita denique ut Regulos *alios* qui venerint ita acceperit *Hadrianus* ut [4] *Pharasmanis* recusantis *invidiam* excitarit. Non sunt hæc omnia in limites nimis *angustos* contrahenda. Itaque intervallum aliquod agnoscendum est inter primos *Alanorum* motus mortemque *Hadriani*. Nec tamen *magnum* illud fuisse è *numis* colligo. Nec enim aliò, quam ad hos *Alanorum* motus, *Cappadociæ* mentionem retulerim, quæ in *Numis* occurrit *Hadriani* atque *Pii*. Numi *Hadriani*, qui *Cappadociæ* meminerint, *Consulatu* illius signantur III°, qui ab anno Ær. *Christ*. 119, ad *finem Hadriani* pertigit, annumque *Christi* 138. Numi *Pii Consulatu* ejus II°, qui non ultra annum Æræ nostræ 139, quo *Consulatum* illum gessit, extendendi sunt. Proximo enim anno *Christ*. 140, *Consulatum* suscepit gessitque IIIm. Hinc intelligimus ad *finem Hadriani* illud referendum esse *Bellum*, de quo *numi* gratulatorii adhuc *Pii initio* excudebantur.

§. 5. Horum certe *temporum*, & hujus etiam *Principu* indolem referunt quæ hoc in *Periplo* tradit *Arrianus*.

Certe horum *temporum* indolem refert examussim hic, in quo versamur, *Periplus*. Cum *Urbibus* memorat celeberrimas quasque *Mythicorum* temporum *Historias*, & Historiarum, siqua credebantur exstare, etiam *monumenta*. His enim sane, siquis *Princeps* alius, maxime delectabatur *Hadrianus*. Sed & disciplinæ *Militaris* curam profitetur *Arrianus*, quam multis novis *inventis* locupletaverat hic atque excoluerat Imperator. Et sane *Tactica* ad illam ipsam *normam*, quam stabiliverat *Hadrianus*, exegit *Arrianus*, quæ etiam ad [5] *Dionis* tempora *inviolata* permansit. [6] Idem *Urbium* nova memorat tam *munimenta*, quam *ornamenta*, quorum studiosissimum hunc eundem fuisse constat *Hadrianum*. [7] Nescio quisquamne Principum cum eo fuerit, hac in causa, conferendus. Et *Peregrinationum* nomine idem Princeps celeberrimus erat, teste [8] *Spartiano*. Talem quoque supponit *Arrianus*. Ait se summa cum voluptate mare *Euxinum* lustrasse ex eodem [9] loco, ὅθενπερ (inquit) καὶ Ξενοφῶν καὶ σύ. Et quo loco de fano *Jovis Urii* [10] loquitur: Ταῦτα μὲν εἰδότι σοὶ λέγω. Itaque jam illas quoque Ponti Euxini oras peragraverat Hadrianus. Quod tamen sero tandem fa-

1 *Dio* Excerpt. *Theodos*. 2 *Spart*. Adrian. c. 13. 3 *Spart*. Adrian. c. 17. 4 *Spart*. Adrian. c. 13. 5 *Dio* L. LXIX. 6 *Arrian*. Peripl. Mar. *Euxin*. 7 *Dio* & *Spartian*. 8 *Spartian*. Adrian. c. 13. 9 Peripl. *Eux*. p. 1. 10 P. 12.

I ctum

ctum opinor, cum nulla hujus itineris nota habeatur apud *Spartianum*. Nisi forte hæc ad iter illius per [1] *Asiam* retulerimus, quo & *servitia castris profutura à Cappadocibus Arriani* nostri *susceperit*. *Affectum* ergo *Hadriani* Imperium, vel *præceps* potius, & ad *exitum* vergens, supponunt hæ notæ. Cum nempe jam & disciplinam *Militarem* ad *exitum* perduxisset, & Provincias plurimas *itineribus* lustravisset idem *Hadrianus*.

§. 6. *Arrianus* hic *Peripli* Auctor, & Præses *Cappadociæ*, idem cum Philosopho *Epicteti* Discipulo.

Conveniunt eadem præterea cum temporibus *Arriani*. Erat enim profecto hic *Arrianus* non alius à *Philosopho*, quem *Epictetæum* appellant Veteres, quod fuerit *Epicteti discipulus*. Is enim *Arrianus*, qui *aciem* instruxit in *Alanos*, & qui proinde *Cappadociam* Provinciam habuit, in illo ipso fragmento quod habemus hodieque scriptæ ab eo Historiæ *Alanicæ*, *Xenophon* appellatur. Ὁ δὲ ἡγεμὼν τῆς πάσης (inquit) στρατιᾶς Ξενοφῶν. Et postea: Οἱ δὲ ἐπίλεκτοι ἱππεῖς ἀμφ' αὐτὸν Ξενοφῶντα ἑστῶσιν &c. Sed quis ille fuerit *Xenophon*, non videntur observasse fragmenti Editores: nedum, ipsum fuisse *Arrianum*. Et tamen nomine νέου Ξενοφῶντος, seu *Xenophontis junioru[m]*, appellatum fuisse omnes sciunt: non item illud, hoc nomine *ipsum* delectatum fuisse *Arrianum*, nec alio libentius appellari voluisse. Ut proinde quoties in illius Scriptis *Xenophontis* nomen simpliciter occurrit, non alius ab *ipso* intelligendus sit *Arriano*. Hoc tamen verissimum esse ex aliis ejusdem Scriptis manifestum est. In Libro de *Venatione*, de *Xenophonte Grylli* filio facta mentione, ipse mox de se ita subjungit: [2] Ταὐτὰ λέξω ὁμώνυμός τε ὢν αὐτῷ, καὶ πόλεως τῆς αὐτῆς, καὶ ἀμφὶ ταὐτὰ ἀπὸ νέου ἐσπουδακὼς, κυνηγέσια, καὶ στρατηγίαν, καὶ σοφίαν. Hinc intelligimus ab *ipso* nomen hoc esse affectatum; & cur affectarit, etiam *rationem*. Quod etiam ipse pariter ac *major* ille *Xenophon*, in vita δραστικῇ & στρατηγικῇ præfecerit, & sub professione *Philosophiæ* peritissimus fuerit *Imperator*. Sic enim de *Xenophonte seniore* [3] *Laërtius*: Καὶ δὴ καὶ φίλιππος καὶ φιλοκυνηγὸς καὶ τακτικός. Sic & alibi, cum de *Xenophonte antiquo* sermo esset, [4] οὐ ξύμφημι, ait, τῷ ἐμαυτοῦ ὁμωνύμῳ. Idem *canis* suæ *nomen* designandum censuit, [5] ὡς καὶ ἐς ὕστερον ἀπολελεῖφθαι αὐτῆς. ὅτι ἦν ἄρα Ξενοφῶντι τῷ Ἀθηναίῳ κύων, Ὁρμὴ ὄνομα, ὠκυτάτη καὶ σοφωτάτη, καὶ ἱερωτάτη. Hic etiam [6] *Xenophontem seniorem* imitatus est, cui *canis* erat, cujus & *nomen* traditur *Hippocentaurus*. Sed *Stoico* magis placuit nomen Ὁρμῆς, qui *Epicteti* tam multa servavit de ὁρμαῖς & ἀφορμαῖς, *vocibus* in disciplina *Stoicorum* decantatissimis. Favebat præterea, quod in receptis *canum* nominibus, ipso quo[que]

1 *Spartian.* Adrian. c. 13. 2 *Arrian.* de Venat. c. 1. 3 *Laërt.* L. II. n. 56. 4 De Ven. c. 17. 5 De Ven. c. 5. 6 *Pollux* Onomast. L. V. c. 5. n. 2.

que teste [1] *Arriano*, locum habuerit Ὀρμή. Inde factum ut *Argumenta* pleraque delegerit cum illo quoque *seniore Xenophonte* communia, cujus *nomen* affectabat. Scripsit *Cyri* junioris Ἀνάβασιν *Xenophon Socraticus*. Et *Alexandri* similiter Ἀνάβασιν scripsit *Xenophon Epicteteus*. Congessit *Socratis Memorabilia Grylli* filius. Et Præceptoris *Epicteti* similiter Colloquia scriptis mandavit *Arrianus*. Scripsit uterque de *Venatione*. Sic tamen ut quæ deerant in *Socratico* suppleverit [2] *Arrianus*. Erat præterea Τακτικὸς superior ille *Xenophon*, ut modo vidimus è *Laërtio*. Proinde Τακτικὴν Personæ, quam susceperat, *junioris Xenophontis* congruam judicavit *Arrianus*. *Primum* præterea *Philosophorum* fuisse, qui *Historiam* scripserit, *Xenophontem* observavit [3] *Laërtius*. De Ἑλληνικοῖς præcipue, ut videtur, intelligendus. Inde *cognati Argumenti* tot nostri quoque *Arriani* Libri, Ἀλανικῶν, Βιθυνιακῶν, Παρθικῶν, Ἰνδικῶν. Hinc *loca*, quorum meminerat *antiquior* ille *Xenophon*, observavit in *Periplo Arrianus*, captatque omnes *illius* memorandi occasiones. Sic tamen ut, quoties illum *nominandum* censuit, fere aliquid adjunxerit, quo à *se* alius fuisse nosceretur. Nempe illum τὸν Γρύλλου, τὸν παλαιὸν, τὸν πρεσβύτερον appellat. Non ita, ut videtur, appellaturus, nisi ut à *juniori Xenophonte* alio *Atheniensi* alius fuisse intelligeretur, nempe à *seipso*. Sic loquitur in *Tacticis*: sic in Libro de *Venatione*: sic in *Periplo*. Est ergo horum omnium *Auctor* idem cum præfecto *Cappadociæ*, & cum *Arriano Epicteteo*. Alius autem ab [4] *Arriano Maturio Plinii* junioris amico *Altinati*. Erat enim tunc *temporis* extra *Italiam*, *Nicopoli*, in disciplina *Epicteti Arrianus* noster *Epicteteus*, cum in ipsa fuerit *Italia Arrianus* ille, cum quo *literarium* habuit commercium junior ille *Plinius*, ipse quoque tum similiter in *Italia*.

§. 7. Prima *Arriani* Scripta de *Epicteto*, paulo post mortem *Epicteti*.

Itaque, cum *Arrianum* hujus Scripti *Auctorem* teneamus; Age, jam *ætatem* illius constituamus paulo magis, quam sit hactenus factum, accurate. Prima autem illius Scripta omnia erant de Præceptore *Epicteto*. Primæ omnium videntur fuisse *Dissertationes*, quæ eo *invito* pariter ac *nescio* in vulgus emanaverant, tandem ab *ipso* emissæ & *L. Gellio* inscriptæ. Ex his deinceps ipse collegit *Enchiridion*. Denique & illa edidit de Præceptoris *vita*, quæ docet illum edidisse [5] *Simplicius*. *Dissertationes* collegit in *memoriæ* suæ subsidium. Ipse ὑπομνήματα appellat, quæ *Xenophon Socraticus* ἀπομνημονεύματα: proinde sermone non elaborato, sed *familiari*, quali usus fuerat, cum differeret, ipse *Epictetus*. Sic enim magis ipsum repræsentarent *Epictetum*, sic magis vim illam nativam retinerent, quam habebant, dum ex

1 *Arrian*. de Ven. c. 19. 2 *Arr*. de Ven. c. 1. 3 *Laërt*. L. II. n. 48. 4 *Plin*. L. III. Ep. 2. 5 *Simplic*. in Epict. Enchirid. init.

ore ejus prodirent, quam tantam fuiſſe dicit, ut [1] *neceſſe eſſet ſic affici auditorem ut eum ipſe affici volebat*. Supponunt, ni fallor, hæc omnia, non *jam* amplius fuiſſe in vivis *Epictetum*, cum illius ὑπομνήματα in animum revocanda eſſent: alioqui *Epicteti* ipſius teſtimonium advocaſſet, qui tantam rerum ab eo auditarum tamque Religioſam fidem præ ſe fert, ut *verba* quoque ipſa pro virili ſua numerarit. Neque tamen à memoria admodum *longinqua* repeti potuit repræſentatio tam accurata *verborum*. Non me tamen fugit *Senecam* patrem *verba* etiam ipſa Oratorum à ſe Adoleſcente auditorum in *Senectute* ſcripſiſſe. Sed prodigioſa erat tanta illa memoriæ felicitas. Suntque præterea alia quæ ſuadeant, nuperiori *Epicteti* memoria hæc mandaviſſe *Arrianum*. Stylum excuſat, quod ſane neceſſarium non fuiſſet, ſi jam alia edidiſſet *ſtyli* ſpecimina, è quibus judicari potuiſſet, quam peritus eſſet *ſtyli* artifex. Ait præterea *Epicteto* nullam, *ſibi* non admodum magnam, fuiſſe de *ſtylo* ſolicitudinem. Quam hæc aliena ſunt à jactantia illa, qua ſe poſtea pro *primario* Græciæ *Scriptore* venditavit, ut nullum habuerit Græcorum *Alexander* M. ſibi in *armis* parem! Verba ejus hæc ſunt: [2] οὐκ ἀπαξιῶ ἐμαυτὸν τῶν πρώτων ἐν τῇ φωνῇ τῇ Ἑλλάδι, εἴπερ οὖν καὶ Ἀλέξανδρος τῶν ἐν τοῖς ὅπλοις. Produnt *priora* illa animum ab *Epicteti* nupera inſtitutione *modeſtum*, & veræ *Philoſophiæ* profeſſione dignum: poſtrema nimio gloriæ ſtudio *corruptum* tandem atque *degenerem*. Edidit ergo has *primitias* ſuas *Arrianus*, paulo poſt *mortem* Præceptoris *Epicteti*, cum *primo* Philoſophiæ ſtudio caleſceret.

§. 8. *Scriptis Arriani* recentiores erant ejuſdem *honores*.

Sed vero hanc ipſam *Epocham* incertam fecit *Chronologiæ* his temporibus *obſcuritas*. Si enim [3] *Suidam* audiamus, aut antiquiorem *Suida* [4] *Themiſtium*, ad *Marci* tempora ipſe pervenit *Epictetus*. Quomodo ergo Præfecturam *Cappadociæ* ſub *Hadriano* gerere potuit *Arrianus*? *Honores* enim quos geſſit omnes *Philoſophiæ* ſtudio debebat; *Scriptiſque*, quæ poſt Philoſophiæ *profeſſionem*, imo poſt *Epicteti mortem*, ut vidimus, edidit, pulcherrimis. Διὰ τὴν τῆς παιδείας δεξιότητα, inquit [5] *Suidas*, teſte *Heliconio*, [6] qui ad *Theodoſii* majoris tempora ſeriem temporum deduxit, ipſe proinde ad ea tempora referendus. Διὰ τὸ τῆς παιδείας ἐπίσημον, ait [7] *Photius*. Imo de hoc meliorem hiſce teſtem habemus, ipſum ſcilicet *Arrianum*. Sic enim de *Scriptis* ſuis [8] ipſe: Ἐμοὶ πατρίς τε καὶ γένος καὶ ἀρχαὶ οἵδε. οἱ λόγοι εἰσί τε καὶ ἀπὸ νέου ἔτι ἐγένοντο. *Patriam* ſcilicet *ſcriptis* debuit, quod ipſe *Bithynus*, civitatiſque *Nicomedienſis*, in civitates *Nicomedia* longe ce-

1 Præf. *Arrian.* ad *L. Gell.* 2 *Arrian.* Exped. *Alexandr.* L. I. 3 *Suid.* Ἐπίκτητ. 4 *Themiſt.* Or. XII. 5 *Suid.* Ἀῤῥιανός. 6 *Suid.* Ἑλικώνιος. 7 *Phot.* Cod. LVIII. 8 *Arrian.* Exp. *Alex.* L. I.

lebriores

labriores propterea fuiſſet adſcriptus, quod erat ſane in viris celebribus, illo Seculo frequentiſſimum. *Athenienſem* ſe fuiſſe profitetur, ut vidimus, in Libro de *Venatione*, ut propterea & nomen *Atticum* etiam aſſumſerit *Xenophontis*. Et *Romanum* fuiſſe docent *nomen Romanum Flavii Arriani*, & *honores Romani* ab eo geſti, præſertim *Conſulatus*, qui non aliorum erant quam civium *Romanorum*. Hanc ergo *civitatem* ſi *Scriptis* debuerit, vel inde obiter illum alium fuiſſe colligemus ab *Arriano Pliniano*. Sic enim probabile erit, cum ſcriberet junior ille *Plinius*, noſtrum ne quidem *nomen* habuiſſe *Arriani*. Ita & γένος & ἀρχὰς ſimiliter Scriptis ſuis debuerit, *gentem* ſcilicet *honoreſque Senatorios Romanos*. Habuit quidem & in *patria ſua*, ut ipſe docet, *honores*. Nempe *Sacerdotium Cereris* & *Proſerpinæ*, ut nos docet ex illius *Bithynicis Photius*, Cod. XCIII. Sed quos minori loco habuit præ honoribus civitatum adſcititiarum. Illos tamen potuit *Eruditioni* debere. Commendabant enim civibus *ſuis externi* quoque *honores*, ad *munera* quibus alioqui *impares* fuiſſent pro origine *domeſtica*. In *Græcis* civitatibus omnibus conſtat quanto fuerit in pretio nomen *Olympionicis*. Et, cum omnes *Romanis* parerent, ſummo in loco fuiſſe certum eſt *honores* apud *Romanos* ipſos *ſummos*, nempe *Senatorios*. Ornavit ergo patriam ſuam *Arrianus* potius quam ab ea ornabatur, ſi poſt *Romanos* honores novos alios à *patria* accepiſſet. Hoc idem feciſſe cenſetur, cum & ipſe *honores patrios* capeſſeret, qui *Arrianum* ornavit, [1] *Hadrianus*. Utcunque tamen, cum honores *Scriptis* debuerit; ſequitur ſane, cum nondum *Scripta* elaborata lucubraſſet, *nondum* illum *honores* conſequutum. Poſt *mortem* autem *Epicteti* Scripta illius accurata fuiſſe, ni fallor, evicimus. Itaque ejuſdem *Epicteti morte honores Arriani* omnes *recentiores* fuiſſe neceſſe eſt. Proinde *ante* annum *Hadriani* XX^m^, quo *Cappadociæ* præerat *Arrianus*, jam *deceſſerat Epictetus*. *Honorem* enim illum *Arriani* ſub *Hadriano* fuiſſe, melioribus, quam ſit *Suidæ* aut *Themiſtii*, teſtimoniis evicimus.

§. 9. *Epictetus* ſub *Hadriano* mortuus.

Etiam aliunde *Epictetum* ſub *Hadriano* obiiſſe probamus: & quidem è propinquioribus *Epicteto* teſtimoniis, quam ſint ea quæ proferuntur in contrarium. *Epictetum* Hadriano *in ſumma familiaritate fuiſſe* teſtatur [2] *Spartianus*. Loquiturque ſane de tempore *Imperantis Hadriani*. Tum enim *familiarem* habuit, quem cum *Epicteto* junxit *Spartianus*, *Heliodorum*, licet *famoſiſſimis* poſtea *literis Heliodorum laceſſiverit Hadrianus*, eodem referente [3] *Spartiano*. Itaque *Hadriani* tempora ſaltem *Epictetus* attigerit. *Quouſque* autem attigerit, ita, ni fallor, colligemus. Alieno ani-

1 *Spartian.* Adr. c. 19. 2 *Spartian.* Adr. c. 16. 3 *Spartian.* Adr. c. 15.

mo erat *Epictetus* à redeundo *Romam*, postquam inde pulsus fuisset Edicto *Domitiani*. Exinde nuspiam illius præterquam *Nicopoli* meminerunt [1] *Arrianus* atque [2] *Gellius*. Itaque in *Græcia Hadrianum* fuisse necesse est, cum in *summa familiaritate Epictetum* haberet. Anno autem Imperii VI° *Atheniensibus leges concessisse è Dracone & Solone petitas* refert *Eusebius* in *Chronico*; VII° etiam dicit eum *Athenis hyemasse*: nempe annis Æræ nostræ *Christianæ* 123, & 124. Hoc ergo tempore *Epictetum familiarem* habuerit *Hadrianus*, seu *Philosophorum* causâ *Athenas* venerit *Epictetus*, seu *Epicteti* conveniendi causâ ipse potius *Nicopolin* accesserit *Hadrianus*. Vix potuit certe superesse multo serius. Erat enim *Epictetus* ipse [3] *senex*, cum redirent *exsules*, ut videtur, *Domitiani*: anno nimirum Æræ nostræ 97. Tunc enim Reditum Exsulum gratulantur numi. Loquitur autem de ea saltem *Senectute*, qua jam officiis Reipublicæ immunes per [4] *Leges* liberum erat deinceps, si liberet, ut in *otio* viverent & *secessu*. Ait enim majorem se natu *exsulem* ætatis obtentu muneribus Reip. renunciasse, quibus tamen se à Principe invitatus implicuerit. Ætas illa *sexagenaria* erat, citimus *Senectutis* limes, eorum scilicet quos ὠμογέροντας Veteres appellabant. Hanc ergo *ætatem* egerit saltem illo etiam anno *Epictetus*. Natus proinde anno Æræ nostræ 37°. Ita annum egerit *ætatis* 87m, prædicto *Domini* anno 124°; *ætatis* autem 124m, si vel 1m attigerit *Marci* annum, qui *Domini* erat 161us. Nec sane *longe* hunc aberrare calculum exinde colligo: quod cum multa in his ab *Arriano* scriptis Dissertationibus suæ *ætatis* in memoriam revocet *Epictetus*, nihil tamen habeat antiquius *Nerone*, sub eo autem [5] multa. Admodum sane commode, cum pro his nostris rationibus annum egerit *Epictetus*, cum *Nero* succederet, XVIIm. Ne autem hoc *Epicteto* temere excidisse suspicemur, [6] rursus se paulo postea γέροντα χωλὸν appellat.

§. 10. *Mortuus* antea quam nasceretur *Gellius*: qui tamen sub *Hadriano natus*, floruit etiam sub *Pio*, temporibus *Hadriano proximis*.

Sic etiam de *Epicteto* qui proxima *Epicteti* memoria vixit [7] *Gellius*: *De Epicteto &c. recentior est memoria quam ut scribi quasi obliteratum debuerat*. Certe, cum de *memoria* loquitur *Epicteti*, jam plane *mortuum* supponit: imo *aliquandiu* mortuum, cum *memoriam* ejus ait nondum fuisse *obliteratam*. Prope autem fuisse innuit, ut è *viventium* animis obliteraretur. *Recentem* autem propterea agnoscit, quod etiamnum in *vivis* essent, qui illius *meminissent*.

1 *Arrian.* Epictet. L. I. c. 19, 25. L. II. c. 6. L. IV. c. 1. 2 *Gell.* L. XV. c. 11. 3 *Arrian.* Epict. L. I. c. 10. 4 *Senec.* de Brev. vit. *Plin.* L. IV. Ep. 23. è *Varrone Nonius* voce *Sexagenarios*. *Censorin.* de die Nat. c. 14. 5 *Arr.* Epict. L. I. c. 1, 2, 25. II. 16. III. 22. IV. 5. 6 *Arr.* Epict. L. I. c. 16. 7 *Gell.* L. II. c. 18.

minissent.

minisset. Quod erat sane verissimum. *Favorinum* enim testem advocat [1] *Gellius* verborum *Epicteti* à se *auditorum*: atque hæc ipsa, uti alia multa, à *Favorino* didicit audivitque ipse *Gellius*. Cæterum ante *Hadrianum* nulla adhuc occurrit, quod quidem sciam, vel mentio *Favorini*. Sub *Hadriano* adeo inclaruit, ut illum *æmulatus* fuerit ipse [2] *Imperator*. Itaque sub *Hadriano Favorinum Epicteto* innotuisse verisimillimum est. Certe *Gellii* ipsius memoria *antiquiorem* fuisse *Epictetum* hæc *Gellii* verba satis evincunt. Ætas enim *Gellii* ea est, ut Natalem fortassis habuerit sub *finem Hadriani*, vitæ autem partem longe maximam egerit sub *Pio Hadriani* successore. Semper apud illum [3] *Divus Hadrianus* appellatur, quoties ipse *loquitur*, aut quoties quis loquitur quem ipse saltem *audierit*: nec rei gestæ sub *Hadriano* ullius *memoriam* propria *Persona* refricat. Idem tamen à temporibus *Hadriani* non admodum *remotus*. Audivit enim in Rhetoricis [4] *T. Eustacium à D.* (inquit) *Hadriano in mores atque literas spectatum*: audivit & *Favorinum*, quem sub *Hadriano* clarum ostendimus. Sic tamen audivit, ut alterius se Seculi fuisse innuat, quam fuerit ipse *Favorinus*. Valerium Probum [5] *nostrum Probum* quasi *parem* appellat *Favorinus*. *Auditor Favorini*, coævus proinde *Gellio*, de hoc eodem *Probo* ita loquitur: [6] *Valerium*, inquit, *Probum audivi hoc dicere*. Ipse *Gellius Valerii Probi* [7] *discipulos* audivit, & [8] *familiarem*. Qui ergo aliorum Præceptorum *discipulos*, alios *ipsos* audivit, qui floruerant ipsi sub *Hadriano*; ejus certe *Adolescentiam* (quæ *ætas* erat audiendorum *Magistrorum*) non longe ab *Hadriano* abfuisse necesse est. *Musonii* porro dicta ab [9] *aliis* narrata audiit *Adolescentulus*: paulo nimirum postea quam annum *ætatis* XIV^{m} absolvisset, & togam adeo *prætextam*, virili sumta, posuisset. Idemne hic erat *Musonius*, qui sub *Nerone* floruit & *Domitiano*? Sic autem de eo loquitur [10] *Herodes Atticus*, quasi *ipsum* audivisset, quem tamen *Herodem* ipse convenit *Gellius*. Sic item de eo loquitur S. *Justinus* [11] *Martyr*, quasi admodum *nupera* vixisse memoria, cum *Antonino Pio* ipse Apologeticum inscriberet. Ita necesse erit ut *Hadriani* temporibus floruerit ille *Musonius*. A *Tauro* præterea Philosopho multa didicit *Gellius*. Idem *Taurus*, cum [12] *Plutarchum nostrum* appellat, ita de *Plutarcho* loquitur, quasi *ipsum* audierit. Vix potuit autem *Plutarchus*, qui sub *Nerone* vixit, diu superfuisse post tempora *Hadriani*. Itaque nec diu post *Hadrianum* necesse est vixisse *Gellium*, qui *Tauri* adeo multis *colloquiis* interfuit. Idem autem

1 *Gell.* Noct. Att. L. XVII. c. 19. 2 *Spartian.* Adr. c. 15. 3 *Gell.* III. 16. XI. 15. XIII. 21. XVI. 13. 4 *Gell.* XIII. 21. 5 *Gell.* III. 1. 6 Ap. *Gell.* ib. 7 *Gell.* IX. 9. 8 *Gell.* XIII. 20. 9 *Gell.* V. 1. XVI. 1. 10 *Gell.* IX. 2. 11 *Justin.* Mart. Apol. I. p. 46. 12 *Gell.* I. 26.

Gellius,

Gellius, cum [1] *Taurum memoria* ſua celebratum fuiſſe tradit, jam non amplius illum in *vivis* fuiſſe innuit, cum illa commentaretur. Ipſum tamen illum *Taurum Gellius Athenis* audiverat. Itaque inter *reditum* ex *Athenis* & Librum VI^m^ elaboratum deceſſerat, & de deceſſu ejus nuncium *Gellius* acceperat. Erat porro *Cornelius Fronto* in arte Oratoria *Tutor* tam *Marci* quam etiam *Veri*. Hunc etiam audiit *Gellius Adoleſcentulus*. Ita tamen audiit non quaſi Scholæ *Rhetorem*, ſed ut *emeritos* jam *Rhetores*, jam potius [2] *Oratores*, nec *Scholis* præfectos, nec *mercenarios*, audiebant *Romani Adoleſcentes*, cum *Oratoriæ* ſtudiis imbuerentur: proinde, ut videtur, poſtquam *Rhetor* eſſe deſierat, jam *Marci* ſaltem ſtudiis præfectum. Is enim mos erat, ut poſtquam *Principum* ſtudia moderanda ſuſcepiſſent, [3] *Scholæ* deinceps renunciarent. Et ſane tum quoque *Principem* alterum inſtituiſſe *Frontonem*, innuit ipſe [4] *Gellius*, cum *in veſtibulo Palatii* eum fuiſſe tradit, cum illius colloquio ipſe intereſſet. Simile enim colloquium narrat *Favorini* Philoſophi [5] in *area Palatina*, dum *ſalutationem Cæſaris opperirent*. Tum quoque *Conſularem* [6] *Frontonem* fuiſſe dicit, qui honor conferri ſolebat in *Principum* Tutores *emeritos*. Ætatem illam *Adoleſcentuli* ſuam cenſet *Gellius*, dum *Romæ Oratoriam* ſub *Rhetoribus Magiſtris* excoleret: nempe eouſque dum [7] *Athenas* proficiſceretur, *ad capiendum*, [8] ut inquit ipſe, *ingenii cultum*. Cœptum enim *Romæ* ſtudium *Rhetorices Athenis* proſecutus eſt. Eo enim ſpectant verba *Tauri* Philoſophi, cum Gellium *recens in diatribam acceptum Rhetoriſcum* [9] appellaret: *exiſtimans*, inquit, *eloquentiæ unius extundendæ gratia* illum *Athenas veniſſe*. Eo quod ipſe ſe teſtetur *Athenis* apud *Magiſtros* [10] fuiſſe, & *ſe*, cum ibi eſſet, accenſet nunc [11] *juvenibus*, nunc [12] *Adoleſcentibus*. Hinc facile colligimus, cum *Athenis* eſſet, jam adhuc *ætatem* illam, qua ſe *Rhetoribus* in diſciplinam tradere, & *Scholas* eorum frequentare ſolebant *Romani*, nondum ſuperaſſe *Gellium*. Colligimus item [13] *ætatem* illam communem fuiſſe *Juventuti* atque *Adoleſcentiæ*. Eam ſcilicet partem *Juventutis* cenſeri, quæ à toga cœperit *Virili*, nec tamen fines exceſſerit *Adoleſcentiæ*. Imo *Adoleſcentiam* illam, qua ſub *Rhetoribus* merere incipiebant, ab anno ætatis XVIII° inire jam [14] alibi probavimus. Hoc ergo anno *major*, & extremo *Adoleſcentiæ* termino (quo *Curatoribus* liberabantur, Juſque rerum ſuarum plenum aſſequebantur, anno ſcilicet XXV°) *minor* fuerit oportet *Gellius*, cum *Athenas* proficiſceretur. *Majorem* certe annis

1 *Gell.* VI. 10. 2 Annal. *Quint.* §. 1. 3 Annal. *Quint.* §. 35. 4 *Gell.* XIX. 13. 5 *Gell.* IV. 1. XX. 1. 6 *Gell.* II. 26. 7 *Gell.* XIX. 8. 8 *Gell.* I. 2. 9 *Gell.* XVII. 20. 10 *Gell.* I. 2. 11 *Gell.* XV. 2. 12 *Gell.* I. 2. 13 Annal. *Quintil.* §. 3. 14 Annal. *Quintil.* §. 3.

XVIII fuisse arguit, quod in *judicem* fuerit *lectus à* [1] *Prætore*. Hoc enim officium hujus fuisse *ætatis* [2] alibi ostendimus. Hoc tempus fuisse ait, quo *primum* judicia exercuerit: dedita nimirum id opera. Erat enim tempus aliud, quo non, ut antea, *lectus à Prætore*, sed *à Consule* [3] *datus*, & quidem *extra ordinem*, judicarit. Itaque alterius *anni* hoc *judicium* fuisse verisimillimum est. Ut proinde *duobus* annis *judicia* exercuerit, ad annum *vitæ* adeo XX^m^, & quidem *absolutum*. Ita *Athenas* venire non potuit ante annum *vitæ* XXI^m^, quo *barbam primam* ponere solebant, qui *citimus* erat *Adolescentiæ* terminus. *Primam* enim certe *Adolescentiæ* partem *Romæ* exegisse, qua [4] *Adolescentulus* pariter ac *Adolescens* appellandus erat, ipse testatur. Annum autem quo fuerit *Athenis*, ita indagamus. Audivit *Gellius Athenis Peregrinum* [5] Philosophum. Hic se combussit *Olympiad*. CCXXXVI, quæ anno Æræ nostræ *Christianæ* 165 conveniebat, ut in *Chronico* docet *Eusebius*. Itaque ante hunc saltem *annum* eum *Athenis* convenerit oportet *Gellius*. Sed & *Olympiad*. CCXXXV *contemni* cœpisse *Peregrinum* testatur [6] *Lucianus*, qui jam tamen summo erat in *honore*, cum illum conveniret *Gellius*. Itaque ante ann. *Chr*. 161, qui cum illa concurrebat *Olympiade*, *Athenis Peregrinum* vidit *Gellius*. *Olymp*. CCXXXIV fugatus *Roma* venit in *Græciam*, *tertia* nimirum antea quam se è *vivis* subduxerit, *Peregrinus*. Itaque hoc *quadriennio* audivit illum *Gellius*, cum ne quidem nomen [7] *Protei* adhuc sumsisset. Quis *annus* ille fuerit, exinde discimus, quod *Delphos* ad [8] *Pythia*, cum *Tauro* Philosopho, quem *Athenis* audivit, profectus fuerit *Gellius*. Jam [9] alibi ostendimus in annos *Olympiadum secundos desinentes* convenisse *Pythia*. Ita anno *Dom*. 159, *Olymp*. CCXXXIV $\frac{2}{3}$ *Athenis* erat *Gellius*, ætatis anno saltem XXII°. Et proinde ante annum *Chr*. 137 excesserit *Epictetus*. Nec enim hoc *primum* anno *Athenas* venit. *Verno* enim tempore erant *Pythia*, cum tamen [10] *Æstiva* fuerit anni tempestas, qua *Athenas* appulerit. [11] *Saturnalibus* jam in ipsis versabatur *Athenis*. Proinde non ad ipsum *annum*, quo *Athenas* venit *Gellius*, spectare poterant illa *Pythia*, sed saltem ad *sequentem*. Exegit præterea *æstum* anni & [12] *Autumnum* (vix, ut opinor, illius, quo venerit) anni in villa *Herodis Attici*, ipsiusque ditionis *Atticæ*. Sed plusquam *unius* [13] *hyemis* in *Attica* absumtæ non meminit, qua primas hujus Operis *Annotatiunculas* collegerit, *breviter* & *indigeste* & *incondite*, *ad subsidium memo-*

1 *Gell*. XIV. 2. 2 Prælect. V. ad Sp. *Adrian*. §. 12. 3 *Gell*. XII. 13. 4 *Gell*. XX. 6. XIII. 17. 5 *Gell*. VIII. 3. XII. 11 6 *Lucian*. Mort. *Peregrin*. 7 *Gell*. XII. 11. 8 *Gell*. XII. 5. 9 Dissert. V de Cyclis *Græc*. &c. §. 2. 10 *Gell*. II. 21. 11 *Gell*. XVIII. 2, 13. 12 *Gell*. I. 2. XVIII. 10. 13 *Gell*. Præf.

riæ. [1] Rediit deinde *Romam*, anni hujus 159 fortaſſe *fine*: ſed *pedeſtri* itinere uſque ad *Caſſiopeiam*. Hujus enim *portus* his temporibus uſum fuiſſe in trajiciendo mari *Adriatico* docet [2] *Arrianus*: præcipue autem in *hibernis* navigationibus. Non idem erat iter *Athenas* proficiſcenti per *Æginam* ad *Piræeum*, & per Promontorium proinde *Maleæ*: quod ſcilicet iter illud *Æſtivum* fuiſſe probaverimus. Et ſane redeuntium [3] *procellæ* hoc idem faciunt ut verum fuiſſe ſuſpicemur. Tum deinde in *Italiam* reverſus, ex illis *Annotatiunculis* hos confecit, quos appellat [4] *Commentarios*, ediditque per *ſingulos* ſeorſim *Libros*. Jam certe innotuerant Libri [5] *priores*, cum conderentur poſteriores. Imo in 1° quoque Libro mentio eorum qui hoc Opus [6] *æmulati* fuerint: non certe tum *Editione* notum, ſed è receptis illius Seculi *recitationibus* atque *retractationibus*. Certe inter *reditum Librumque* VI^m *abſolutum*, jam deceſſerat Philoſophus *Taurus*, *nunciumque* de illius deceſſu acceperat *Gellius*. [7] *Athenis* enim illum viventem docentemque *audivit*. Cum Librum VI^m ederet, ait illum [8] *memoria ſua diſciplina Platonica* fuiſſe *celebratum*. Verbum *memoria* illum ex *intervallo* mortuum videtur indicare. Non tamen *multorum* erat ſpatium illud, ni fallor, *annorum*. Cum enim Librum ederet XII^m, [9] *Peregrino* Philoſopho *poſtea Protei nomen factum* ait, quod nondum ei attributum, cum illum conveniret *Athenis*. Nihil tamen etiam tum de illius *incendio* reſciviſſe videtur: nihil de novo nomine *Phœnicis*, quod illum paulo antea, quam flagraret, aſſumſiſſe teſtatur [10] *Lucianus*. Hinc facile colligimus, nondum annum *Chriſti* 165^m, quo ſe combuſſit *Peregrinus*, elapſum eſſe, cum Libro XII° manum ultimam *Gellius* imponeret. Forte ne quidem annum 161^m, quo ſe *ſequenti Olympiade* è vivis *migraturum* [11] in celeberrima totius *Græciæ* Panegyri prædixerit. Vix enim eſt cur hæc *Romæ* agentem *Gellium* latuiſſe ſuſpicemur. Sed *mortem* obſtitiſſe ſuſpicor, quo minus proceſſerit ultra *Librum* Operis XX^m. Conveniunt his noſtris rationibus *temporum* notæ omnes. Etiam *antea* quam *Athenas* veniret *Gellius*, jam [12] *bis Coſ.* fuerat *Erucius Clarus*, quem 2^m *Conſulatum* geſſit ann. *Chr.* 146. Et *Præfectus Urbis*. *Athenis Herodem Atticum* convenit: jam nempe *Conſularem*. Poſt ann. *Chr.* 143, quo *Conſul* fuerat *Herodes*. Et ab *Urbis* anno *trecenteſimo*, [13] *ad hunc* (inquit) *diem*, *anni eſſe non longe minus ſeptingenti videntur*. Sed vero annus *Chriſti* 147 idem U. C. erat *Varr.* 900, & proinde à prædicto *Urbis* anno *trecenteſimo ſex-*

1 *Gell.* IX. 4. XVI. 6. XIX. 1. 2 *Epictet.* L. III. c. 7. 3 *Gell.* XIX. 1. 4 *Gell.* Præf. 5 *Gell.* XIV. 6. 6 *Gell.* I. 25. 7 *Gell.* II. 2. 8 *Gell.* VI. 10. 9 *Gell.* XII. 11. 10 *Lucian.* Mort. *Peregrin.* 11 *Lucian.* ib. 12 *Gell.* VI. 6. XIII. 17. 13 *Gell.* XX. 1.

centeſimus.

centesimus. Itaque *post* illum annum colloquium illud *Phavorini* *Gellium* audivisse necesse erat, ut vel *cœptus* intelligi possit ille *centenarius*. Hinc sane constat *mortem Epicteti* sub *Hadriano* statuendam esse, ut Natali *Gellii* aliquanto *antiquior* esse posset, nec tamen haberetur *obliterata*.

§. 11. Mortem *Epicteti* sub *Hadriano* statuendam etiam è *Luciani Demonacte* colligitur.

Poterit etiam aliquid fortasse colligi de *morte Epicteti* è *Luciani Demonacte*. Vixit enim certe *Demonax* post ann. *Christ*. 170. Illius enim anni *Consulem Cethegum* [1] vidit, cum per *Græciam* in *Asiam* proficisceretur, futurus *Patris* in Provincia *legatus*. Sed vidit non jam *Consulem*, sed tantummodo *Consularem*. Itaque *post* illum, quem dixi, annum. Nec tamen, ut videtur, *diu*. Superavit enim *ætatem Consularem* ipse *Cethegus*. Et *Patrem* tamen habuit *Provinciæ* administrandæ parem. Quamdiu postea vixerit *Demonax*, nihil habet, quod quidem observavi, *Lucianus*, unde liceat colligere. Sed vel ita potuit illum *Athenis* audire *Lucianus*. Erat enim è quatuor *Olympiadibus*, quas exegit in *Græcia Lucianus*, una illa qua arsit *Peregrinus*, anno Ær. *nostræ* 165. Cum moreretur *Demonax*, non multis annis aberat à *centenario*, eodem teste *Luciano*. Sic poterat satis commode *exsulem* videre in *Græcia Epictetum*, ut illum *vidisse* certum est. Sed nondum constat, qua demum *ætate sua* illum convenerit. *Juvenem* autem fuisse innuit, quod ad *uxorem* ducendam illum hortatus fuerit *Epictetus*. Hoc enim à *Juvenibus* Leges *Romanæ* exigebant. Etsi *non* rursus supponit *Epictetum* Responsio *Demonactis*, se quidem pariturum, si *filiam* haberet quam sibi locaret *Epictetus*. Nondum tamen ex his apparet, *quamdiu* fuerit in vivis *Epictetus*, & num ad *Marci* usque tempora pertigerit. Aliunde tamen fortassis hoc etiam colligemus. Ait *Lucianus Demonactem* non ab *Agathobulo* ad studium Philosophiæ fuisse excitatum, οὐδὲ Δημητρίου πρὸ αὐτοῦ, οὐδὲ Ἐπικτήτου ἐπεγειράντων. *Agathobulum* illum sub *Pio* floruisse docet ipse *Lucianus*, in vita *Peregrini*. *Quarta* [2] enim *Olympiade* ante illam, qua se combussit *Peregrinus*, ex *Ionia* venit in *Græciam* ipse *Lucianus*. Anno proinde Æræ nostræ *Christ*. 153. Tunc *comitem* habuit Navigationis suæ *Peregrinum*, jam *Cynicum*, rejectumque adeo à *Christianis*: forte *hereditatem* suam à patria *Paro* repetiturum. Ea spe dejectus *Ægyptum* petiit *Peregrinus*, ut sub *Agathobuli* disciplina exerceretur. Erat ergo tum temporis in *Ægypto* *Agathobulus*, quem tamen *Athenis* convenerat *Demonax*. Ex *Ægypto Italiam* petiit *Peregrinus*. *Italia* pulsus à *Præfecto Urbis*, propter convitia in Principem mitissimum, *Elidem* se ad *Olympia* contulit *Peregrinus*: anno scilicet Æræ *Christianæ* 157.

1 *Lucian*. Demonact. 2 *Lucian*. de Mort. *Peregrin*.

*Q Una

Una enim tantummodo inter hanc, eamque, qua se flammis tradidit *Peregrinus*, intercessit *Olympias*. Medio ergo aliquo anno inter 153, & 157 in *Ægypto* erat *Agathobulus*. Proinde antea *Athenis*, & sub *Pio*, cum eum *Athenis* conveniret *Demonax*. Certe *Peregrino* senior, cum eum pro *Magistro* habuerit ipse *Peregrinus*. Imo *Demonacte*, qui major erat *Peregrino*, seniorem arguunt verba illa *Luciani*. Nec enim ab alio quam à *seniore* exspectandum erat, ut ab eo ad *Philosophiam* adduceretur ipse *Demonax*. De *fine* ergo *Agathobuli* loqui necesse est in *Peregrini* vita *Lucianum*, qui in *Pii* tempora inciderit. *Florentis* autem in *Scholæ* Magisterio *ætas* necesse est ut fuerit saltem sub *Hadriano*. Atqui hoc ipso *Agathobulo* antiquiorem fuisse tam *Demetrium*, quam *Epictetum*, verba prædicta arguunt *Luciani*. *Demetrius* ille *Cynicus* fuisse videtur, cujus responsionem *Neroni* datam ipse quoque memorat [1] *Epictetus*. Erat ergo *Epicteto* ipsi coævus, ut proinde vix potuerit *Hadriani* tempora superare. Sic ergo etiam omnia optime convenient, si Imperio *Hadriani* non admodum *affecto* decesserit *Epictetus*.

§. 12. *Epictetum* ab anno Ær. *Chr.* 104 audivit *Arrianus*.

Redeamus jam ad tempora *Arriani*. Vidimus prima ejus de Præceptoris *Epicteti* doctrina scripta post *mortem Epicteti*, nec tamen *diu*, prodiisse. Vel inde vincitur ad *Marci* tempora non vixisse *Epictetum*. Hos enim ipsos *Arriani* Libros advocant coævi [2] *Gellio* Philosophi, quem sub *Pio* Philosophos Rhetoresque audivisse probavimus. Non tamen tum *primum* prodiisse, sed sub *Hadriano*, ostendimus. Erat ergo sub *initium Hadriani* in *Epicteti* Schola *Arrianus*. Multis autem sub *Epicteto* didicisse annis, tot illius de Magistro Libri, Διατριβῶν, Ὁμιλιῶν, & de *Vita*, docent. Quo autem tempore ad *Epicteti* Scholam accesserit *Arrianus*, indagandum. His autem Libris [3] *Nicopoleos* tam frequens mentio facit ut suspicemur, nihil *Arrianum* ab *Epicteto* hausisse antea quam *Domitiani* Edicto in *exsilium* actus fuerit *Epictetus*. Tum demum enim *exsilii* locum *Nicopolim*, teste [4] *Gellio*, delegit *Epictetus*. Non tamen inde colligendum, *mox* ab Exsilii *initio*, ad *Epictetum* sese contulisse *Arrianum*. Imo ne quidem ullam fuisse, quæ tum patuerit, *Epicteti* Scholam, est sane verisimillimum. Erat enim Philosophis *ipsis* invidiosum, si ad illos sub Principis *indignatione* positos *Discipuli* magno numero confluxissent. Utque metus nullus ipsi fuisset *Epicteto*, ab *Discipulis*, nondum *Philosophis*, quid, quæso, est cur fuisse dubitemus? Nocuisset etiam *illis* tam prolixus *favor* in *exsulem* Principi suspectum, & in *Disciplinam* quæ habebatur adeo *Principibus* perniciosa.

1 *Arrian*. Epict. L. I. c. 25. 2 *Gell*. I. 2. XVII. 19. XIX. 1. 3 *Arrian*. Epict. I. 19. 25. II. 6. IV. 1. 4 *Gell*. XV. 11.

nicioſa. Harum certe *Diſſertationum initio* liberior eſt in *Veſpaſianum* [1] *Epictetus*, quam ferrent tempora *Domitiani*. Præſertim accedente metu à [2] *militibus delatoribus*, cujus ipſe meminit *Epictetus*. Nec tamen ulla virum, utcunque aliter *intrepidum*, adegit *officii*, neceſſitas ut *exempla* iſtiuſmodi familiaribus *colloquiis* immiſceret. Nulla certe quæ *periculum*, ſiquod imminuiſſet, compenſaret. Potius, *Domitiano cæſo* revixiſſe probabile eſt ſtudium *Philoſophiæ* à *Veſpaſiano* repreſſum atque *Domitiano*. Vix tamen ante *Reditum Exſulum*, quem III° demum *Nervæ Conſulatu* impreſſi gratulantur *numi*, anno proinde Æræ *Chriſtianæ* receptæ 97°. Nec ſane verba habet, quod meminerim, in his quos habemus Libris, *Epictetus*; è quibus liceat colligere, poſt *exſilium*, & tamen ante *Reditus* Epocham, ulla fuiſſe illi de *Republica*, aut de *Philoſophia*, libera *colloquia*. Hoc demum tempore viſitatum ſe à prædicto *ſene* redeunte teſtatur, qui *ætatis* obtentu, *negotiis* renunciaverit, & *ſeceſſus* ſtudium profeſſus fuerit. Hunc tamen queritur, cum *Italiam* attigiſſet, literis Principis delinitum à propoſito diſſiliiſſe; tum autem, cum illa diſſereret *Epictetus*, *annonæ* fuiſſe *præfectum*, & negotium *aliud* ex *alio* ſibi accumulaſſe. Hic ſane manifeſtum eſt ſpatium eſſe neceſſarium, poſt *reditum*, quo *negotia* tam *varia* accumularit iſte *ſenex*, & deinceps *aliud* quo de *accumulatione* reſciverit *Epictetus*. Illud ergo conſtat, non ſub *Nerva* hæc, ſed ſub *Trajano*, diſſeruiſſe *Epictetum*. Quo autem *Trajani anno* ita diſſerentem audierit *Arrianus*, non adeo habemus exploratum. *Trajani* autem diſerta mentio eſt in *his* quoque *Epicteti* Sermonibus, quibus interfuit [3] *Arrianus*. Meminit præterea Belli *Dacici*: meminitque ita, quaſi *tum* quoque gereretur, dum illa diſſereret. Sic enim habent illius verba: [4] καὶ νῦν Ῥωμαῖοι πρὸς Γέτας. *Getæ* enim illi *Daci* erant, teſte *Dione*. Hac nota *temporis* antiquiorem aliam præſentis *Arriani*, in his quos habemus Libris, opinor non habemus. Audivit ergo *Arrianus Epictetum* à Bello uſque *Dacico*. [5] Duplex autem illud erat *Trajani* Bellum: aliud cui finem impoſuit *Trajanus* anno Æræ *noſtræ* 102: aliud, quod anno demum 105 abſolverit. *Poſterius* ergo potius intelligendum ſuſpicor. Poſtea enim *Pacem* à *Cæſare* reſtauratam gratulatur, & quidem (ut videtur) *diutinam*. [6] Bis enim illius mentionem legimus, nec ullum legimus deinceps *Bellum*. *Pax* autem quæ Bellum *primum* ſequebatur, & *brevis* erat, & pro ipſa quoque illa brevitate *ſuſpecta*. Mox enim *nova* paravit arma *Decebalus*. Pax vero *poſterior* erat ſane, qualis ab *Epicteto* deſcribitur, *diuturnior*. Pertigit enim ab anno *Chriſt*. 105, ad 112, quo novum

1 *Arrian*. Epict. I. 2. 2 *Arr*. Epict. IV. 13. 3 L. IV. c. 5. 4 L. II. c. 22. 5 Præl. *Camden*. 6 L. III. c. 13. 22.

aliud *Bellum* aggressus est *Trajanus* in *Parthos*. Saltem ergo ab anno 104 in Schola *Epicteti* fuerit *Arrianus*. Ut *paulo* fortassis *antea* accesserit, fac eum supponamus hoc anno saltem fuisse *vicenarium*. Multo profecto *minor* esse vix potuit, cum ad talem Philosophum accederet, qualis erat *Epictetus*, qui non simul fuerit, ut alii plerique, *Sophista*. *Oratoriam* enim, quam non profitebatur *Epictetus*, alibi didicerit oportet *Arrianus*. Et ea, qua postea maxime inclaruit, tum quoque se *imbutum* innuit in *Præfatione*. Sic ergo annum superarit Lm, anno *Christ.* 137, quo *Cappadociæ* illum præfuisse probavimus. Nec multum, ut opinor, in hoc calculo, aberrabimus. Erat enim *ætas* illa satis commoda muneri, quod suscepit, administrando. Nec limites multo *laxiores angustioresve* patiuntur *res* tanto intervallo medio gerendæ. Ita annos exegerit in *Epicteti* disciplina circiter xx. Num *continuos*, de eo nihil affirmare possumus. Interciderunt enim Libri Dissertationum *postremi*, è quibus tempora Discipulatus *postrema* discenda erant. Interciderunt *Epicteti* Ὁμιλίαι ab eodem *Arriano* scriptæ: interciderunt quæ de *Vita* Præceptoris idem exaravit *Arrianus*: interciderunt & *Rufi* è dictis *Epicteti* à *Stobæo* memorata Collectanea; si tamen is alius fuerit *Arriani* sub *Epicteto condiscipulus*, & non sua potius ex ipso collegerit *Arriano*.

§. 13. Anno *Chr.* 147 *secessus Arriani* post *honores*, quo *postremas* scripserit *Historias*.

De hoc autem nostro *Arriano* ita habet in Chronico *Eusebius*, ad annum *Pii* IXm: *Arrianus Philosophus Nicomediensis agnoscitur*. Ita fere solet *Eusebius* insigniores vitæ Epochas, quas nescivit, ad certos *annos* redigere. Ex illis nimirum *Epitomarum* Auctoribus, qui ne quidem ipsi exploratum habebant, quis ille fuisset insignis *eventus*, qui *annum*, de quo loquebatur, fecerat insignem. Nunc autem *annum* forma illa designat quo quis *natus* fuerat, nunc item quo quid *gesserit*, quo in hominum memoria *inclaruerit*. *Natalem* certe *Thaletis* annum hac ipsa forma designavit *Eusebius*, quem certum est ab eo non esse designatum in *Arriano*. Ergo *factum* aliquod, ni fallor, intellexit *Arriani*, quod hoc demum *anno* contigerit, aut forte potius illius *Consulatum*. Erat quidem *Consulatui* satis maturus, qui hoc anno *Christi* 147 annum superarit pro nostris rationibus LXm. Sed *Scripta* fuisse quibus potissimum *inclaruerit*, ipsum jam profitentem audivimus *Arrianum*. Erant autem *duplicia* illius *Scripta*: alia quibus honores *meruerit*, quæque adeo *honores* ipsos *præcesserint*; alia *post* gestos jam *honores*, in *otio* proinde, ut videtur, & *secessu*. Hoc enim ipse nos docet in vita *Alexandri*. Memorat ibi suos ἀπὸ νέυ λόγυς, quibus *inclaruerit*, honoresque adeo consecutus fuerit. *Parthica*, ut opinor, quibus

quibus res à *Trajano* in *Parthos* gestas celebraverit, teste [1] *Photio*. Conveniunt res illæ in *juventutem Arriani*, qua anno *ætatis* xxxv *juventus* concludi solebat, pro censu *Romanorum*. Vix potuit certe de hoc Opere suscipiendo cogitare *ante* exitum *Trajani*, nec tamen postea *diu* differre ut in *juventutem* ejus conveniret. Non patitur hæc ratio, ut *Natalis* ejus fuerit multo, quam nostri ferunt calculi, *antiquior*. Nec viceversa patitur ratio superius à nobis allata, ut fuerit multo *senior*. Itaque post editas Præceptoris sui *Dissertationes*, cœptos antea de rebus *Parthicis* Commentarios absolverit: nempe in gratiam adoptati à *Trajano Hadriani*. Tunc etiam vitam *Tillibori* latronis scripserit, cujus meminit [2] *Lucianus*. Recenti scilicet *patriæ* memoria rerum *Asiaticarum*. Inde fortasse *Provinciam* meruit *Cappadociam* sub finem *Hadriani*. Paulo *post* Provinciam scripserit etiam *Alanica*, de rebus à se in *Provincia* gestis in *Alanos*. Eo enim spectat ipsum illud, quod habemus, *Alanicorum fragmentum*. Vitam autem *Alexandri* M. cum scriptis à *juvene* Libris etiam *accuratis* opponit; cum & *imperia* & *patriam* illis in *juventute* Scriptis accepta referat. Tum sane se, cum de *Alexandro* commentaretur, *senem* fuisse innuit, saltem pro *primo* Senectutis limite; tum etiam & *Atheniensem* se & *Romanum* factum esse supponit, *priorum* nempe merito *Scriptorum*. Ipsa illa de *Epicteto* Præceptore Scripta satis ipsa per se sufficiebant, ut illum facerent docentibus in ea Urbe *Philosophis*, ipsique *Urbi* commendatissimum. Quanti enim fecerint cives etiam *alienos* eo nomine illustres, docent *Atheniensium* in *Zenonem Cittieum* [3] collati honores: imo illo ipso quoque *Seculo* in [4] *Demonactem*, pariter & ipsum, ut fuerat *Zeno*, *Cyprium*. Accessit autem ad cumulum, cum *priorem* quoque, quem appellat, *Xenophontem* in *Historiæ* gloria, & *styli* etiam nitore, æmularetur *Arrianus*. *Hadriano* vero tum demum innotuit, cum *in summa familiaritate* Magistrum illius haberet *Epictetum*. Tum scilicet cum in *Græcia Athenisque* ipsis versaretur *Hadrianus*, ut supra vidimus. Inde civitate primum *Romana*, tum & *latiu laviq*, donatum esse verisimillimum est, quo *Jus* haberet capessendorum honorum *Senatoriorum*. Hoc certe *jure* ornatum sub *Hadriano*, ex *Provincia* illius colligimus *Cappadocia*. Erat quidem *Provincia* illa, ut ex *Euxini* Maris *Periplo*, & *Dione*, ipsiusque *Arriani Alanicis*, constat, *armata*. Inde colligimus *Hadriani* potius *Legatum* fuisse *pro Prætore*, quam *Senatus Populique Romani Proconsulem*, ut putabat *Stuckius*. Potuit quidem tum quoque fuisse *Consularis*. Non tamen erat hæc dignitas tanta *necessaria* ad Principis *Legatum*. Erat tamen *Prætoria* plerum-

1 *Phot.* Cod. LVIII. 2 *Lucian.* Alex. Pseudomant. 3 *Laërt.* Zenon. L. VII. n. 10, 11, 12. 4 *Lucian.* Dem.

que

que necessaria. Raræ enim erant *Præfecturæ Ægyptiacæ*. Plane autem *necessaria* ad Jus *Gladii*, quod locum habuit hoc, in quo versamur, *Arriani* exemplo. Cæterum si hoc *primum* fuerit *Arriani Imperium*, nondum *Consulem* fuisse verisimillimum erit. Monuit enim *Augustum Mæcenas*, ut *Legatos* suos, si bene Provincias administrarent, ad Consulatus promoverent. Itaque, re bene in *Provincia* gesta, inde ad novum *Consulatus* honorem *Arriano* viam patefactam fuisse verisimile est. Jam enim observarunt eruditi cum Imperii administrandi Regulis consentire illam *Mæcenatis* Orationem. Ita non *diu* dilatus fuerit *Arriani* ille *Consulatus*.

§. 14. *Arriani* honores *Romani* non adeo *Legibus* Romnaorum *Annalibus* congrui, quam eorum qui *primo* ortu fuerant *Romani*.

Obiter tamen Observandum in his Civibus, qualis erat *Arrianus*, *adscititiis*, non undequaque similem procedere, ac in reliquis à *primo* ortu civibus, Argumentationem. Suadet prædicto in loco *Mæcenas*, ut è *Provincialibus* viri primarii in *Senatum* adlegerentur. Nec aliunde proculdubio ortum habuerunt *Romani* hujus *Arriani honores*. Jam enim olim, diu ante *Hadrianum*, recepta illa apud *Romanos* fuerat consuetudo: etiam in libera Republica. Paucis à *Regifugio* annis, nempe Æræ *Varronianæ* anno 250, receptus est in civitatem è *Sabinis Appius Claudius Regillensis*. Et quidem ita, ut non receptis inter cives gradibus, sed *mox* fuerit inter [1] *Patres* lectus & *Patricios*, & novam etiam *Tribum* condiderit à se *Claudiam* appellatam. Sic etiam Bello *Punico* II° receptus [2] *Pœnus Mutines*, dux *Annibale* ipso non multo inferior. *Civis* & ipse *Romanus factus*, *rogatione ab Tribuno Plebis ex Auctoritate Patrum ad Plebem lata*. Sic & [3] *Magius Campanus*, ipse *Civitate* donatus, filii autem duo mox per saltum *creati Prætores*. Erant præterea civium *adscititiorum* exempla decantatissima, in *Cornelio Balbo* & *Ventidio Basso*, qui ad summum *Romanorum* honorem ascenderint, etiam *Triumphalium*. Etiam in Ordine *Equestri* eadem obtinuit consuetudo, ut è *Provincialibus* legerentur. *Gaditanorum Equites* 500 in coæva sibi *Censura* censitos observavit [4] *Strabo*; nec in ulla aliqua Civitate, etiam *Italica*, tantum fuisse Ordinis illius numerum, præterquam *Patavii*. Potuit ergo, cum Civitate donaretur, inter *Prætorios* legi *Arrianus*, pro exemplo duorum *Magii* filiorum. Ita scilicet ut *honores* nullos obierit ante *Præturam* capessendos, nec media exspectarit *intervalla* inter *Quæsturam*, qui primus erat in *Senatu* gradus, atque *Præturam*. Id si verum, mox *sellæ Curulis* Jus habuerit; nec *suffragandi* tantummodo, verumetiam *sententiæ dicendæ*; & *Provinciæ*, cum visum esset Principi, administrandæ,

1 *Dionys. Halicarn.* L. V. *Liv.* L. II. c. 16. 2 *Liv.* L. XXVII. c. 5. 3 *Vell. Pat.* L. II. c. 16. 4 *Strab.* L. III. p. 169.

cum

cum jure *Gladii*. Primi ergo *Arriani* honores non sunt ad Leges *Romanorum* Civilium *Annales* exigendi. In reliquis deinceps locum habere poterant eædem *Leges*. Hæc tamen obiter.

§. 15. Scripsit *Arrianus* de *Alexandro* M. aliaque *Historica* post *Secessum*.

Redeo jam tandem ad nostrum *Arrianum*. Illud ergo certum est, cum de Expeditione ageret *Alexandri* Magni, actos jam nonnullos fuisse quos *literis* meruerit *honores*, cum illorum hoc ipso Opere meminerit. Id quoque probavimus, honores ejus *Romanos* inter illos censeri, quos hoc ipso παιδείας nomine meruerit, & prolixam *Romanorum* Principum in illum benevolentiam. Sed vero in Maris *Euxini* Periplo de gratia in se *Hadriani* sibi gratulatur. Sic enim de suis in primo adventu *Sacrificiis*: ὅτῳ δὲ πρὸς τῷ τἀγαθὰ ηὐχόμεθα, οὐ λανθάνομέν σε, τόν τε τρόπον τὸν ἡμέτερον οὐκ ἀγνοοῦντα, καὶ σαυτῷ συνειδότα, ὅτι ἄξιος εἶ ὑπὲρ ὅτου πάντες εὔξαιντο τἀγαθὰ, καὶ ὅσοι ἡμῶν ἔλαττον ὑπὸ σοῦ εὐπεπόνθασιν. Cœpit à vivo *Epicteto* in discipulum *Epicteti Arrianum Hadriani* favor, quem non multis ab *initio Hadriani* annis vixisse probavimus. Quid ergo miremur, si XX° *Hadriani* anno primum *honorem* consecutus fuerit *Arrianus*? Primum præterea bene actum *Consulatus* spem fecisse jam probavimus. Is ergo Consulatus, si *secundus* fuerit honor, elapsus fuerit oportet *antea* quam se accingeret ad scribendum de *Alexandro* M. Atqui certe parum verisimile est debitum ex illa Provincia *Consulatum* ad annum X^m^ esse dilatum. Magis ergo libenter notam *Eusebii* prædictam ad *secessum Arriani* retulerim, quo, gestis jam *honoribus*, se totum *otio literariisque* deinceps duntaxat laboribus addixerit. Nono enim illo *Pii* anno, annum egerit *Arrianus* præter propter LXIII^m^. *Ætas* erat, qua plerunque se *Romani* studiis dediti ad *otium* receperint. Itaque hoc demum tempore Opus hoc *primarium* scripserit *Arrianus*, quo recte is *agnosci* dici potuerit, qui *studiis* præsertim, *Librisque* elegantissimis, inclaruerit. Tum deinde *Indica*. Hæc enim pro prioris Operis *Appendice* ipse habet *Arrianus*. Proximo, ni fallor, loco de rebus scripsit *post Alexandrum* gestis prolixum Opus à [1] *Photio* recensitum. Inde de *Timoleonte* scripsit & *Dione*. Denique de rebus patriæ *Bithynicis*. *Quartum* enim hoc fuisse Opus ab Historia *Alexandri*, & hoc ipso quem descripsimus *ordine* quartum, ex *Arriani* quæ vidit *Bithynicis*, docet ipse [2] *Photius*. Tot autem *Libros* uno quasi & perpetuo *filo* elucubratos, post gestos in Republica *Magistratus*, vel inde intelligimus commodissime ad *secessum* referendos esse, quo se recipere solebant *Romani* ætate jam *declivi* & ad res *gerendas* inepta. Illos autem, si hoc demum anno *Pii* IX° cœperit, sub eodem *Pio* ad *exitum* perductos existimarim. Con-

1 *Phot*. Cod. XCII. 2 *Phot*. Cod. XCIII.

veniunt certe *tempora*. Quo loco agit de morte *Calani*, mirum est, nihil hic habere *Arrianum* de morte *Peregrini*, qui simili plane ac *Calanus* morte *incendii* absumtus fuerit, si quidem *nupera* illius memoria scripsisset. Remotius erat *Gymnosophistæ* exemplum, qui sub [1] *Augusto* ita se è vivis subduxerit, quam ut necesse esset illius mentionem fecisse *Arrianum*. Nec plane simile erat [2] *Euphratis* exemplum, qui sub initium *Hadriani*, impetrata Principis venia, decesserit.

§. 16. *Marci* tempora fortassis attigit *Arrianus*.

Vera *Arriani* tempora *proxime*, ni fallor, attingunt quæ jam tradidimus. Idque ipsum gratulandum est, in his præsertim *temporibus*, in quibus nullos prorsus habemus probatæ fidei *Annales*. Ita fiet ut anno Æræ *Christ*. 161°, quo cœpit *Marcus*, ab anno ætatis LXXX° non longe abfuerit *Arrianus*. Eo tamen pertigisse volunt antiquitatis mediæ infimæque Scriptores. Sed quam incerta sit eorum fides in *his* temporibus, jam luculento, ni fallor, exemplo ostendimus in *Epicteto Arriani* Præceptore, quem illi similiter ad eadem *Marci* tempora vixisse volebant. Imo aliquot sub *Marco* vixisse annis necesse esset, si quidem is ipse fuisset, qui Periplum scripserit Maris *Erythræi*. Fieri autem potest ut id fuerit, saltem de *Arriano*, verum. Sed *rem* gestam nullam, *Factumve*, proferunt quo id verum fuisse vincatur. Nec viceversa suppetunt in *contrarium* Argumenta, quibus falsum fuisse probatur. Sic meminit *Arriani Gellius*, ut nihil innuat fueritne etiamnum in *vivis*. Nuspiam illum *visis* à se accenset seu *Rhetoribus*, seu etiam *Oratoribus*: nuspiam vel illius meminit, fueritne *sua*, an *majorum*, memoria. Si quidem fuerit in *Secessu*, cui nostræ favent rationes, hæc satis commoda causa esse potuit, quæ obstiterit quo minus *Gellio* innotuerit. Maxime si in *patriam* secesserit, ut *Secessus* tempestatem non *Romæ*, sed *Athenis*, exegit *Herodes Atticus*. Utcunque tamen, fac *Marci* tempora attigerit *Arrianus*; non certe *superasse* verisimillimum est. Potuit autem aliquatenus esse verum, *Marci* tempora attigisse *Arrianum*, qui anno saltem *Christi* 147 superstes fuerit, & scribendis deinde *Historiis* incubuerit. Ipso enim illo anno, in *Pii* decennalibus *Tribunitiam Potestatem* accepit *Marcus*, ipsiusque *Imperii* particeps factus est. Ut ab eo usque anno Edicta Publica *utriusque* nomine conciperentur. Idque ipsum satis erat fallendis *mediæ* hujus Antiquitatis Auctoribus. Id tamen itane se habuerit, statuere non possumus, nisi *verba* ipsa vetustiorum haberemus, quibus freti juniores *Arriani* vitam ad *Marci* Imperium prorogarint.

1 *Strab*. L. XV. p. 686, 719, 720. 2 *Dio* & *Euseb*. Chron. num. MMC. XXXVII.

Videndum

§. 17. In Chronico *Paschali* pro *Africano* forte reponendus *Arrianus*.

Videndum porro quid sibi velint verba Chronici *Paschalis* ad *Coss.* anni Æræ *Christ.* 148. *Pii* autem Imperatoris XI^m. Επὶ τούτων ὑπάτων Ἀφρικανὸς τελευτᾷ. Vidit jam præstantissimus *Cangius* de *Africano* Chronographo ne quidem intelligi potuisse. Habuit quidem *Trajanus* in VI° suo Consulatu collegam *Africanum*, cujus *obitus* ad hunc annum potuit non absurde referri. Causam tamen nullam reperio cur illius *Africani* obitus potius quam aliorum coævorum *Consularium* fuerit commemorandus, cujus res *gestas* in illius *Seculi* Historia *nullas* plane legimus. *Biennio* duntaxat discrepat *situs* à mentione prædicta *Arriani* in Chronico *Eusebiano*, quod ad annum *Pii* IX^m *Arrianum* retulerit *Eusebius*, ad XI^m autem *Africanum* retulerit Auctor Chronici *Paschalis*. Facilis est in istiusmodi *Chronicis* error *biennii*. Et tamen *unici* duntaxat *anni* error erit, si ad *Consulum* situm potius quam ad annum *Imperatoris* attendamus. Annum enim *medium* designant *Consules*, Æræ nimirum *Christianæ* 148^m. Suspicor ergo ex iisdem fontibus hausisse sua utriusque *Chronici* Auctorem; nec alium proinde à *nostro* esse *Arriano* quem *Paschalis* Chronici Auctor appellarit *Africanum*. Sic nos docebit *Paschalis* Auctor quo nomine hunc *annum* insignem fecerit *Arrianus*, & quodnam illud fuerit γνώρισμα quo ἐγνωρίζετο. Hoc enim *Græcum* verbum est, cujus vice *agnoscitur* reponere solet *Hieronymus*. Sed vocis τελευτᾷ duplex potest esse sensus. Alius ut hoc anno *mortuus* fuerit *Arrianus*. Sic *medio* spatio inter annum *Hadriani* XX^m, & hunc annum *Pii* X^m, ea scripserit omnia, quæ post *primos* ejus *honores* scripta esse probavimus. Et falsa adeo erunt illa juniorum testimonia, quæ ætatem *Arriani* ad *Marci* usque tempora producunt. Fieri autem *potest*, ut nihil aliud illa voce Auctor intellexerit, quam ut ad illos usque *Coss.* aut ad illum *Pii* annum *Historiam* aliquam à se scriptam produxerit, seu *Parthica* illa fuerit, seu fortasse potius *Alanica*: admodum certe commode, cum ille ipse *annus* tot aliis fuerit nominibus, ut modo vidimus, insignis; hoc vero præcipue, quod *Secularis* fuerit, *Urbis* nimirum, pro Epocha *Varroniana* (quam *popularem* fecerat Seculo elapso *Claudius*) *nongentesimus*. Erat enim hoc apud *Historicos* jam olim receptissimum, ut *annis* istiusmodi *illustribus* Historias *terminarent*: apud *Romanos* vero sub *Augustis*, ut Quinquennalibus *Augustorum*, quorum *ætate* scripserant, concluderent, aut Decennalibus. Hoc ergo potius forte eligendum, dum certiora suppetent, quibus *juniorum* etiam *Traditionem* refellere possimus, de vita *Arriani* ad *Marci* tempora proferenda.

DISSERTATIO SEXTA.

De *Arriani Nearcho*.

§. 1. Scripsit, ut videtur, *Nearchi* Periplum *Arrianus*, paulo post Expeditionem *Alexandri* M. antea quam innotesceret Geographia *Ptolemæi*.

N*Earchi* hunc, quem habemus, *Periplum*, non à *Nearcho* ipso, sed ab *Arriano* scriptum esse constat. Est enim *lacinia* ex *Arriani Indicis* depromta. *Tempus* ergo quo in lucem emanarit, non è *Nearchi*, sed ex *Arriani* potius, *ætate* colligendum est. Ipsa autem *Indica* Libris de *Alexandri* M. Expeditione omnium insignissimis subjecta fuisse ipse profitetur *Arrianus*. Nihil ergo est cur dubitemus, quin post illos de *Alexandro* Libros, alio nullo Opere interposito, hunc quoque *Periplum* concinnarit. Proinde paulo post *secessum*, quem anno Æræ nostræ *Christianæ* 147° supra asseruimus. Certe sub *Pio*. Nihil enim illi exploratum est de *commercio* illo lucrosissimo inter *Alexandrinos* ipsosque *Indos*, quod *oram* illam omnem patefecerit, cujus veluti jam stabiliti meminit *Ptolemæus*, qui scripsit etiam ipse sub *Pio*. [1] Itinera enim recenset in hoc Opere *Arrianus*, ex *Ægypto* ad *Susas*, non tamen *duobus* plura: aliud exercitus *Cambysis*; aliud missorum à *Ptolemæo Lagide* ad *Seleucum Nicanorem*. *Navigationes* per has oras maritimas, quales erant, cum scriberet *Ptolemæus*, *statas*, nullas plane cognovit. Hoc nos docent illius diserta in hanc sententiam illa verba: Οὔ τις παρέπλωσε ταύτῃ οὐδαμῶς ἀνθρώπων ὑπὸ καύματος καὶ ἐρημίης, εἰ μή τινες γε πελάγιοι κομιζόμενοι. Quæ de instaurato hoc commercio scripserat [2] *Plinius*, ignorare cum venia potuit *Arrianus*. *Seculo* quippe alio scripsit *Plinius*, & *lingua* etiam *alia* quam qua usus est *Arrianus*, ipse stirpe *Græcus* & in *Romanam* Civitatem duntaxat *adscititius*. Sed quæ idiomate *Arriani* nativo *Græco* scripsit [3] *Ptolemæus* vir Seculi sui celeberrimus; quæ ipsa *Arriani* scripserat, & quidem admodum recenti, *memoria*: ea *Arrianum* latere vix poterant, si tum prodiisset in lucem *Geographia Ptolemæi* cum hæc ipse commentaretur. Vel inde suspicamur recte Nos hunc *Nearchi* Periplum ab *Arriano* editum *Pii* temporibus assignasse, cum nondum *prodiisset*, aut certe nondum longe *innotuisset*, Geo-

1 *Nearch.* Peripl. p. 39. 2 *Plin.* N. H. VI. 22. 3 *Ptolem.* I. 17. 19.

graphia *Ptolemæi*. Sed vero eum, qui Maris *Erythræi* Periplum concinnarit, de illo *Alexandrinorum Indorumque* commercio rescivisse constat, quod noster tamen, cum de *Nearchi* Periplo ageret, nescivit *Arrianus*. Ideone Periplum Maris *Euxini Arriano* abjudicabimus? Nihil plane necesse est, ut ita faciamus. Hoc unum sequitur, *serius* illum Maris *Erythræi* Periplum, quam *Nearchi*, confecisse. Idque sane necesse erat, si quidem *Marco* demum Imperante prodierit Periplus Maris *Erythræi*. Medio autem tempore inter *Pii* decennalia successionemque *Marci* potuit hoc didicisse *Arrianus* ipse, quod antea nesciverit. Seu hoc ab ipso didicerit *Ptolemæo*, seu à mercatoribus *Alexandrinis*, à quibus edoctus fuerit ipse *Ptolemæus*. Hinc ergo potius idem horum Periplorum *ordo* fuisse vincitur *temporis* quem nostræ modo traditæ ferunt rationes.

§. 2. Nec nomina locorum *omnia* complexus est *Arrianus*, quæ apud ipsum reperer at *Nearchum*. Et tamen viceversa locorum *spatia*, quæ nulla fuerant in ipso *Nearcho*, ipse addidit.

Suis autem, non *Nearchi* verbis *Nearchi* sententiam exponit *Arrianus*: & *Dialecto* etiam alia quam qua usus fuerat in *Historia Alexandri*. Historiam enim *Dialecto* concepit *Attica*, *Periplum* autem *Nearchi* non *Attica* sed *Ionica*. Forte ut *Veteres* in *omni* Dialecto æmularetur *styli* ostentator jactantissimus. Nec tamen, vel *sententiam* Nearchi *integram* repræsentavit, & qualem ipse scripserat *Nearchus*. Nearchi *Breviarium* dedit [1] *Plinius*, in quo tamen *nomina* occurrunt, quæ frustra quæsiverimus apud *Arrianum*. Nullam habet *Arrianus* vel *Xylenopolim* ab *Alexandro* conditam, unde ipsum erat Navigationis *exordium*: & ne quidem *Arbis* oppidum à *Nearcho* conditum, nisi forte [2] *portum* munitionemque tumultuariam, ne castra diriperentur, in finibus *Arabiorum*, hoc nomine intellexerit *Arrianus*. Sed nec ullus apud *Arrianum* fluvius *Nabrus*, nec portus *Argenus*, nec flumen *Hytanis*. Et alia in tam *brevi* compendio adeo *multa* occurrunt, quæ locum plane nullum habent in *Arriano*, ut facile intelligamus, plurima fuisse, quæ omiserit *Arrianus*, si ipsum haberemus *Nearchum*. Sunt item è contra in *Arriano* nonnulla quæ aliunde *Arrianus* quam è *Nearcho* acceperit. *Onesicriti* (inquit *Plinius*) *& Nearchi navigatio nec nomina habet mansionum, nec spatia.* Et tamen *spatia* sæpe, pro *Nearchi* sententia, memorant *Nearchi* excerptores. Hæc ergo ita interpretatur Magnus [3] *Usserius*, quasi ut à *Juba* aut *Onesicrito* Navigatio *Nearchi* prodita est, nulla habuerit spatia, habuerit autem Textus ipse *Nearchi* genuinus. Sed cur, quæso, illud observaret *Plinius*, nisi Textus illos *Nearchi* atque *One-*

1 *Plin*. N. H. VI. 23. 2 Peripl. *Nearch*. p. 7. 3 Annal. Period. *Jul*. 4388.

ſicriti ſinceriſſimos crediḍiſſet, in quibus *ſpatia* nulla reperiebantur? Hoc autem ſi verum fuerit; ita neceſſe erat ut *ſpatia* illa in receptis *Nearchi* Periplis à *juniorum* interpolationibus omnia emanarint. Eſtque id ſane veriſimillimum. Erant enim ſane, præter ea quæ retulerat ex *Nearcho* atque *Oneſicrito Juba*, & aliæ quoque *ſeparatæ* utriuſque Auctoris Editiones, etiam ætate *Plinii.* Hoc inde colligo, quod in Auctorum *Catalogis*, è quibus Libros Operis ſui *ſingulos* collegit *Plinius*, occurrit, præter *Jubam*, ſeorſim mentio tam *Nearchi*, quam etiam *Oneſicriti.* Quod ſane non fuiſſet neceſſe, ſi, quæ de utroque habet *Plinius*, ea omnia ex ſolo hauſiſſet *Juba.* His autem ſeparatis *Nearchi* atque *Oneſicriti* Editionibus *ſpatia* fuiſſe, certiſſin um eſt ex advocatis Operis utriuſque *teſtimoniis.* Nec tamen illa in *Archetypis* locum habuiſſe, eſt ſane merito quod ſuſpicemur. *Spatia* utriuſque *milliaribus* cenſet Plinius: *Carmaniæ* ([1] inquit) *oram patere duodecies centena* L. *millia paſſuum Nearchus ſcripſit.* Iterum, de utroque: [2] *Oneſicritus & Nearchus ab Indo amne in ſinum Perſicum, atque illinc Babylonem Euphratis paludibus, ſcripſerunt* XXV *mill. paſſuum eſſe.* Quaſi vero *milliaribus* ſpatia emetiri ſolerent coævi *Alexandro Græci.* Non ita Scriptores *Græci*, qui de hujus oræ *ſpatiis* teſtimonia advocant, ſeu *Nearchi*, ſeu etiam *Oneſicriti.* Nuſpiam apud illos *milliaria* reperiemus, ſed tantummodo *ſtadia.* Ita [3] *Strabo.* Ita noſter etiam [4] *Arrianus.* Ideone illis *utramque* menſuram tribuemus, tam *milliarium*, quam *ſtadiorum*? Rectius è contra *neutro* modo ſcripſiſſe colligemus *Nearchum* atque *Oneſicritum*; ſed potius utraque *juniorum* deberi ratiociniis; *Latinorum* milliaria, ſtadia vero *Græcorum. Milliaribus Nearchi* ſpatia & *Oneſicriti* deſignavit Scriptor aliquis *Romanus*, Romaniſque *moribus* magis aſſuetus quam *Græcorum.* Ut ſane, vel ex hoc ipſo Opere *Pliniano*, conſtat, alios fuiſſe *Romanos* Scriptores multos, qui ſimiliter *ſpatia Græcorum* in *Romana milliaria* converterint. Si *ſuſpicioni* venia ſit, crediderim ipſum fuiſſe *Jubam.* Cur ita credam, faciunt *Plinii* illa: [5] *Euphrate navigari Babylonem è Perſico mari* CCCCXII *mill. paſſuum tradunt Nearchus & Oneſicritus. Qui vero poſtea ſcripſere, à Seleucia* CCCCXL *mill. Juba à Babylone Characem* CLXXV *mill. paſſuum.* Videmus hic *Jubam* ſpatia *Græcorum* omnia ad *Romanorum milliaria* redegiſſe. Congrue admodum, cum regnarit ipſe in regione, quæ fuerat ante illum *Romana* Provincia, & *moribus* pariter *Romanis*, & *linguæ*, etiam aſſueverat. Vel hinc mihi ſuſpectum eſſe fateor, rectene illum Eruditi vulgo *Græcis* Scriptoribus accenſeant. Tam enim *Græcis* pleriſque *ignota* fuiſſent *Romana milliaria*,

1 *Plin.* N. H. VI. 23. 2 C. 23. 3 *Strab.* Geogr. XVI. p. 766. 4 *Arrian.* Nearch. p. 4. &c. 5 *Plin.* N. H. VI. 26.

quam

quam viceversa *Græcorum stadia* ignorabant *Romani*. Porro è prædicto *Plinii* loco illud etiam constat, *Nearchi* sententiam atque *Onesicriti* à *Juba* fuisse explicatam. Ita scilicet, ut à sui Regni Scriptoribus atque Lectoribus intelligeretur *Romanis*, qui longius aberant ab ea *Africæ* parte qua Linguæ *Græcæ* usus obtinuerit. Cæterum ita ut *sincerissimi* haberentur *Nearchi Onesicritique*, apud *Jubam*, Textus; quippe ab ipsis eorundem Scriptis *proxime*, sine Interpretum *interpolationibus*, desumti. Inde factum merito ut pro *seorsim* exstantium Paraplorum *norma* haberentur. Non itaque aliundé commodius spatia *Romana*, quæ nullum prorsus in *Græcis* locum habere poterant, arcessemus.

§. 3. Cur *spatia*, quæ nulla erant in *Nearcho* & *Onesicrito*, illis tamen tribuerint *juniores*.

Sed quo tandem (inquies) jure *Nearcho* atque *Onesicrito* tribui illa poterant, quorum mentio *nulla* prorsus esse potuit apud *Nearchum*, ipsumve *Onesicritum*? Illo, ut opinor, quod ea saltem in utroque occurrerint, unde *spatia* illa *Romana* ratiociniis suis *Juba* ipse collegerit. Cum tamen nullum fuerit apud illos *spatii* nomen, ne quidem *stadii*, alteriusve cujusvis quod posset saltem ad *stadia* redigi; mirum fortasse videbitur, quidnam fuerit unde sua elicuerit *milliaria Juba*; quidnam (inquam) cujus meminerint *Nearchus* atque *Onesicritus*, qui tamen *milliarium* nuspiam meminerint. Ego *diurna itinera* fuisse suspicor quæ ad *Romana milliaria* Rex ipse *Juba* redegerit. In eo enim conveniunt, ut opinor, omnes, *dierum* numero navigationes designasse tam *Nearchum*, quam etiam *Onesicritum*. Et certe hæc *temporis* spatia *stadiis* (quæ sola memorat *locorum* spatia) opponit [1] *Marcianus Heracleota*, non admodum in eo, huic *Plinii* exemplo dissimilis. Imo *Plinii* fuisse sententiam docent, ni fallor, alibi *Plinii* illa verba: [2] *Timosthenes classium Philadelphi præfectus, sine mensura, dierum* LX *à Syene Meroën iter prodidit*. Idem ergo apud illum valet, *diebus* intervalla designare, quod *sine mensura*. Tantundemq; rursus sine *mensura* esse, quod *spatia* non habere. *Facilem* porro, sed *rudem* admodum *incertamque* methodum habebant qua *itinera diurna* in *stadia* converterentur; sed *ipsam* quoque, pro *Auctorum* diversitate, *diversam*. *Quingenta stadia diurnæ* navigationi tribuit [3] *Scylax*. Sed *stadia septingenta* diei *uni* concedit [4] *Marcianus Heracleota*. Medium scilicet inter numeros stadiorum *nonginta*, spatii *diurni velocissimi*; & *quingentorum*, quem *diurnæ* navigationis censet esse *tardissimæ*. *Minimam* ergo *diurni* itineris mensuram usurpavit *Scylax*: nempe, ut videtur, ut *nocturna* itinera à *diurnis* excluderet, & *seorsim* numeraret. Sic autem *laxior* erit *majorque* quam oportuit. Hinc intelligimus, quam *sibi* dissimilis

1 *Marcian. Heracl.* Peripl. p. 63. 2 *Plin.* N. H. VI. 29. 3 *Scyl.* Peripl. p. 30. 4 *Marcian. Heracl.* p. 67.

unius

unius ejuſdemque Auctoris *ſententia* videri poſſet, cum ipſe intercidiſſet, ſi modo tam *diſpari diurnæ* navigationes in *ſtadia* vel *milliaria* converterentur. Cæterum ſi *ſtadia* ipſa in milliaria convertenda è *Græcis* hauſiſſet *Juba*; jam & alia potuit, in horum Auctorum ſententia *Latinis* repræſentanda, accedere diſcrepantia. Erant enim qui in *milliari Romano ſtadia* numerarint *octona*. Erant autem qui *ſeptena* duntaxat & *dimidium*. Sed cum *ſpatia* à *Jubæ* Textibus abfuerint; *diurna*, ut videtur, itinera non proxime in *ſtadia*, tum deinceps in *milliaria*, ſed in *milliaria proxime* redegit. Tanti intereſt, ut recte de veterum ſententia pronunciemus, ut primo conſtet quid veteres ipſi *dixerint*; tum deinde colligamus, quid non ipſorum debeamus *verbis*, ſed *juniorum* tantummodo *ratiociniis*.

§. 4. Nullæ erant in *Nearcho*, vel *Oneſicrito*, continuæ *manſiones*.

Neque vero *ſpatia* ſola, ſed & *manſiones Nearcho* ipſi atque *Oneſicrito*, abfuiſſe docet [1] *Plinius*. Nomine *manſionis* id proculdubio intellexit ille quod volebant *Itinerariorum* Auctores, qui Regionum intervalla *mediis*, quibus ſe reficiebant viatores, locis deſignabant. Hic enim aliquantiſper *manebant*, hic *ſtabulabantur*: proinde *manſiones* appellari ſolent, *Græcis* μοναὶ, vel σταθμοί. Locum hic plane nullum habet illa μονῆς ſignificatio, quam in juniore aliquo fabulatore legimus, qui ſcripſit Ὁδοιπορίαν ἀπὸ Ἐδὲμ τοῦ Παραδείσου εἰς τὴν Ῥωμαίων, in MS°. *Voſſiano*. Ἡ μονὴ, inquit, ἔχει μίλια ξ'. Ibi *ſpatii* nomen eſt à quo *Plinius manſionem* diſertiſſime ſecernit. Ideone *locorum nomina*, in quibus *quieverint*, nulla erant in Paraplis *Nearchi* atque *Oneſicriti*? Hoc falſiſſimum eſſe vincunt, non alii tantummodo eorum Exſcriptores, verumetiam ipſe *Plinius*, qui in illo ipſo *Breviario* è *Juba* depromto multas exhibet iſtiuſmodi *manſiones*. Sic ergo intelligi ne quidem *poteſt*. Hoc ergo potius fortaſſe volebat. Conſtabant recepta *Itineraria continuis manſionibus*, manſionumque *ſpatiis*, quæ ſibi invicem commiſſa *Itinerariorum univerſorum* ſpatia conficere ſolebant. Sic enim fere habent *Itineraria antiqua*, quæ hodieque exſtant, *Antonini*, *Peutingeranum*, *Hieroſolymitanum*, &c. uti etiam *antiquiora* illa quorum veſtigia apud *Plinium*, alioſque, etiamnum habemus. Hoc ergo volebat *Plinius*, nihil fuiſſe in Paraplis *Nearchi* & *Oneſicriti*, quo, de *curſu* quem tenuerint, aut navigationis univerſæ *intervallo*, pronunciari poſſet. Quod ſcilicet nec *locorum*, quibus manſerint, *nomina continua* apud illos legerentur; nec locorum *ſpatia* exhiberent, ipſa quoque ſimiliter *continua*. Hæc autem ſi recipiatur Interpretatio; poterant & *ſtadia*, aut *Paraſangæ*, aut *Schœni*, aut alia horum locorum temporumque *ſpatia* ab his Auctoribus uſur-

1 *Plin.* N. H. VI. 23.

pari,

pari, modo ne fuerint etiam ipsa *continua*. Non multo certe postea [1] *Indiam Eratosthenes* ab *Occidente* ad *Orientem*, usque ad *Palibothra*, *schœnis* emensus est: verum itinere tantum *pedestri*.

§. 5. A *Juba* Rege ad *Romanos* emanavit tam *Nearchi* Paraplus, quam *Onesicriti*.

Id quoque è prædicto *Plinii* loco colligimus, *Nearchi* etiam *separatam* Editionem, qualiscunque demum ea fuerit, è *Juba* emanasse. Certe *quæ prodiderat* [2] *Onesicritus*, ea *proxime à Juba narrata* fuisse, verbis testatur expressis, opponitque temporis *sui* navigationibus. Mox autem de utraque tam *Nearchi* quam *Onesicriti* Navigatione ita loquitur, quasi eadem fuisset cum ea, cujus supra meminerat, solius *Onesicriti*. Id enim postea de *utraque* præstat, quod de solius *Onesicriti* Paraplo pollicitus fuerat, ut *eam juniorum Navigationibus præmitteret*. Idem innuere videtur, quod modo observavimus, quod *milliaribus* spatia emensus fuerit, quæ in *Græcis* Auctoribus nulla fuisse verisimillimum est, ut proinde ab *Interprete* illorum *Romano* aliquo necessario emanarint. Idem, quod è *Juba* collegerit *Plinius*, nulla fuisse apud utrumvis *mansionum nomina*, nec *spatia*, quæ tamen ipse è *separatis* utriusque Editionibus descripserit. Hinc suspicamur, utriusque rationes à *Juba* descriptas pro *norma* habuisse *Plinium*, ad quam receptæ palam *Editiones* essent exigendæ. Et quidem jure *merito*, cum in *Libro* suo *Juba* ipsos excerpserit *Auctores*, in *separatis* autem Editionibus *verba* Auctorum permixta exhiberentur cum *Jubæ* saltem *interpretamentis*.

§. 6. Primus *Nearchi*, non tamen *Parapli* ejus, meminit ante *Jubam Diodorus*. Et *scripti* meminit à *Nearcho* Parapli proximus *Juba Strabo*.

Qui tamen *Jubæ* primi opera *Romanis* innotuit *Nearchus*, poterat, fateor, jam olim ante *Jubam Græcis* suis fuisse notissimus. Poterat, quidem. Desunt autem *monumenta*, quibus ita fuisse vincatur. Jamdiu interciderunt Historici *Alexandro* coævi *omnes*, è quibus statui possit, tum innotuerit, necne, *Nearchus*. Interciderunt *proximorum* temporum *omnes*, qui Nos docerent an vel *proxima* innotuerit *Alexandri* memoria. Antiquissimus eorum qui *Nearchi Navigationisque* ejus meminerint, ut puto, *Diodorus* est, *Jubæ* ipsi coævus, qui tamen paulo antea, quam *Juba* ipse, *scripserit*. Historiam quidem terminavit Belli *Cæsaris Gallici* initio *Diodorus*. Scripsit autem certe *post* mortem *Cæsaris*, cum illum *Divum* appellet. Imo acute observavit [3] *Scaliger*, affecto etiam *Augusti* Imperio, adhuc superfuisse *Diodorum*, cum *Bissextum quarto* cuique anno, & quidem *absoluto*, convenire norit, quem tamen *tertio* quoque anno finito intercalaverant *Pontifices* ante *Augustum*. Nisi fortasse *Pontificibus* ipsis *peritior* fue-

1 *Strab.* L. XV. p. 689. *Arrian. Ind.* 2 *Plin.* N. H. VI. 23. 3 Num. *Euseb.* MDCCCC. LXVII.

rit *Diodorus*, quod ne credam faciunt *multi* ejus, in re *Chronologica* præsertim, & *crassissimi*, errores. *Jubam* autem tum *puerum* duxit in triumpho *Julius* anno *Varroniano* 708. Sed scripsit vergente in finem *Augusti* Imperio. Inscripsit Libros suos [1] *Cajo* Cæsari, & de *Caji* Cæsaris Expeditione *Arabica* in illis ipsis egerat *Libris*. *Medio* ergo tempore aliquo *Libros* edidit inter Expeditionem *Arabicam*, *mortemque Caji*, sub *initium* Æræ nostræ *Christianæ* vulgo receptæ. Innotuerat ergo *Græcis*, etiam ante *Jubam*, saltem *Nearchi nomen*, qui *Alexandri* auspiciis Paraplum ab *Indi* ostio ad ostium *Euphratis* obierit. Nihil autem habet *Diodorus*, unde constare possit, *Scriptumne* aliquod viderit *Diodorus* ipse sub nomine *Nearchi*, quo ipse *Navigationem* suam posteris tradiderit. Nihil *Diodorus* de *Xylenopoli* primo Navigationis *portu*. Sed nec quicquam de *locis* aliis *gentibusve* in Paraplo, qualem illum reperit *Juba*, memoratis. At [2] *Strabo* certe *Jubæ* coævus (qui tamen ipse sub *Tiberio*, & post *Jubam*, scripserit) ea habet è *Nearcho*, quæ è *Scripto*, quale tunc legebatur, emanasse verisimillimum est. A *Græcis* ergo accepit *Juba* quæ primus ipse communicavit cum *Romanis*. Desunt autem *testes*, quibus *Juba Nearchus* multo *antiquior* fuisse probetur, cum *Diodoro* neminem *antiquiorem* habeamus, qui *Nearchi* vel *meminerit*.

§. 7. Ignotus *Nearchus Agatharchidi, Eratostheni*, primisque rerum *fabulosarum* collectoribus.

Causam porro *Nearchi* suspectam facit patronus ipse *Juba fabularum* patrocinio infamis. Sic Regem illum perstrinxit, & *Libycas* illius *Historias*, vetus aliquis *Poeta*, & in persona *Democriti* ipse quoque [3] *Athenæus*:

Εἰ μέν τι τούτων Ἰόβας ἱστορεῖ,
Χαιρέτω
Λιβυκαῖσι βίβλοις.

Eundem, ni fallor, eodemque nomine perstrinxit *Plutarchus*, vel, siquis alius potius Auctor habendus est *minorum Parallelorum*. Nec enim alios fere in illo Opere advocat Auctores præterquam *fabulatores*. Suspecta faciunt tot alii rerum ab *Alexandro* gestarum *sublestæ fidei* Historici. Hoc agnoscunt tam [4] *Strabo* quam [5] *Arrianus*. Ipsumque *Nearchum* illis accenset etiam de nomine *Strabo*. Fieri vix potest ut adeo essent *mendaciis* infames, adeo invicem *discordes*, si vel Auctores fuissent *coævi*, eorundemque cum rebus gestis *temporum*. Pudor enim saltem aliquis fuisset *mentiendi* dum tot alii etiamnum *superessent*, etiam *scripsissent*, earundem rerum *testes*. *Postremi* saltem fidem suam munivissent, quod tamen à *nullo* factum observavimus. Secu-

1 *Plin.* N. H. VI. 27. 2 *Strab.* L. II. p. 70. L. XI. p. 524. L. XV. p. 686. 689. 693. 696. 725. L. XVI. p. 766. 3 *Athen.* L. III. c. 5. 4 *Strab.* L. II. p. 70. 5 *Arrian.* de Exp. *Alex.* L. I. init.

rior

rior autem erat mentientium fama è *longinqua* rerum gestarum *memoria* comminiscentium, cum nemo esset in vivis *testis*, à quo convinci possent. Sed nec adeo sunt hi Auctores *testimoniis* exploratæ *fidei* aliunde muniti, ut nullus pateat de illis dubitandi locus. Age ergo, propius hanc causam pressiusque expendamus. Paulo ante *Diodorum* vixit *Agatharchides*, quem sub *Ptolemæo Alexandro senem* scripsisse probavimus. Is autem nescivisse videtur plerosque Scriptores de rebus *Indicis*, qui coævi *Alexandro* M. fuisse creduntur, & in illis nostrum quoque *Nearchum*. De [1] *orbis* enim tum explorati plaga *Orientali* Scriptores sibi cognitos *Hecatæum* recenset duntaxat atque *Basilim*. Non illum, ut opinor, *veterem* intelligit *Hecatæum* qui scripserat *Asiæ Periegesim*, seu *Milesius* is fuerit, seu alius, ut volebat *Athenæus*, & fortasse junior, *Insularis*. Nec enim satis constabat, etiam *veteribus*, quid *vetustissimo Milesio Hecatæo* tribuendum esset, quidve *aliis* eodem nomine *junioribus*. Imo potius *Eretriensis* ille fuisse videtur *Hecatæus*, quem de rebus *Alexandri* M. testem advocat [2] *Plutarchus*. *Basilim* illum *Indica* scripsisse docet *Athenæus*. Qui obscuriorem illum *Hecatæum* memoria dignum censuit, eumne clarissimum navigationis *Indicæ* præfectum, ipsique *Alexandro* charissimum, *Nearchum*, eumne navis *Prætoriæ* nauclerum *Onesicritum*, siqui tunc in hominum manibus versarentur, præteriturum suspicabimur? Certe *Plinii* & *Strabonis* etiam sæculo, partes in *Asiæ Indiæque* descriptione celeberrimas habere credebantur hi M. *Alexandri* comites, quos sane mirum est *Agatharchidi* non *innotuisse*, si quidem ulli prorsus tunc fuissent qui *possent* innotescere. Erat præterea gravi vir judicio *Agatharchides*, & *libraria* supellectile copiosissima instructus: imo in Bibliotheca *Alexandrina* jam *insenuerat*, cum de Mari *Erythræo* commentaretur. Vix ergo est ut illius diligentiam effugerint tam celebri nomine Scriptores, si qui *tum* omnino exstitissent. Etiam ante *Agatharchidem*, multa nobis, etiam de rebus *Indicis*, loca *Eratosthenis* conservarunt veteres. In his nullum, quo vel *Nearchi*, vel alterius cujusvis, qui de eodem Argumento scripserit sub *Alexandro*, mentionem fecerit. Habuit autem & ille usum *Bibliothecæ* instructissimæ *Alexandrinæ*: erant præterea, tam *Eratosthenis* ætate, quam *antea*, multi rerum *Paradoxarum* collectores. Hoc Argumento *Liber* erat *Mirabilium Auscultationum*, quem nos *Theophrasto* asseruimus. Hoc Argumento scripsit *Callimachus*, & *Antigonus Carystius*. Hoc Argumento *Epigrammata* scripsit [3] *Archelaus* quispiam *Ægyptius* in gratiam *Ptolemæi*. Et *Paradoxorum* etiam *Indicorum* exempla proferunt è *Ctesia* & *Megasthene*. Nuspiam autem è *Nearcho*, aut *Onesicrito*, aliisve istius-

1 *Agatharchid.* p. 48. 2 *Plutarch.* Alex. 3 Ap. *Antig. Caryst.* c. 23, 56.

*S modi

modi navigationis *Alexandri Indicæ* Scriptoribus. Qui tamen, si adeo *fabulis* scatuerint, amplissimam præbituri erant hujusmodi *Collectaneis* supellectilem. *Scriptorumque* tam veneranda *nomina* id saltem effecissent, ut, si qui alii in Argumento tam futili *audiendi* viderentur, hi certe *contemtu* superiores essent habendi. Ita omnia consentiunt, ut *Jubæ* demum *ætate* Scripta sub nomine *Nearchi Græci* confinxerint. Quo certe loco *Nearchus* ipse loquitur, nullum tamen est vestigium styli *Dorici* aut *Macedonici*, aut *communis* etiam, qualem legimus in *Philippi* Regis Epistola apud [1] *Demosthenem*. Ne jam & illud observemus, *mensium* dies pro *juniorum* Kalendariis designari. Quod tamen, nihil ad *Nearchum*.

§. 8. Proximis *Alexandro* temporibus *Indus* cum *Nilo* junctus credebatur. Quod *credi* non potuit, si ullus *tunc* fuisset *Nearchi Taraplus*.

Addo autem & aliud meæ suspicionis Argumentum, de *Nearcho* pariter atque aliis id genus reliquis, qui sub *Alexandri* M. nomine fefellerint, impostoribus. Recepta est *Alexandri*, proximisque Alexandro, *temporibus* opinio, [2] *Indum* alicubi cum *Nilo* communi alveo fuisse commissum. Fidem fecere *animalia* in *Indo* à *Macedonibus* observata *Crocodilis* simillima, quæ olim in *Nilo*, nec in alio præterea ullo Orbis fluvio observaverant. Erant, ni fallor, illa eadem quæ hodie *Cayamani* appellantur. Fluxit inde, ut videtur, error olim receptissimus, quo *Indus* atque *Nilus Paradisi* fluviis accensebantur, & pro *Pisone* & *Geone* accipiebantur, nec sibi modo *invicem*, verumetiam cum *Tigride* & *Euphrate* confluere credebantur. Adjuvit errorem fortassis, quod *Nilo* saltem originem *cœlestem* tribuerint *Ægyptii*, teste *Diodoro*. Non, ut opinor, aliunde quam quod *Ægyptum* suum fluvium [3] *Homerus* διιπετῆ appellarit, quo nomine *fluvium* alium à *Nilo* ne quidem potuit designare. Erat enim de *Paradiso* similis apud veteres opinio, ipsum quoque fuisse duplicem: *Archetypum* atque *Ectypum*; & proinde *Cœlestem* pariter atque *Terrestrem*. Cum nempe *Mysticis Allegoricisque* veteris Instrumenti Interpretationibus *Judæi* assuevissent: & cum, una cum *Macedonum* victoriis, Philosophia etiam *Platonica* ad *Judæos* emanasset. Certe à *Græcorum* Interpretum ætate, si quid commune cum LXXII Interpretatione ea habeat Interpretatio, quæ nomine eorum jam vulgo insignitur. Inde factum ut terra *Chus*, quæ *Geone* alluebatur, pro *Æthiopia* accipiant *Græci* Interpretes, à qua immane quantum aberat. Sic in ipsa [4] *Paradisi* descriptione: sic in Reginæ *Sabææ*, quæ regioni *Chus* imperabat, historia, quam propterea *Ægypti Æthiopiæque* Reginam censet fuisse [5] *Josephus*:

1 Orat. pro Coron. 2 *Strab.* L. XV. p. 696. *Arrian.* de Exp. *Alex.* L. VI. init. 3 *Homer.* Odyss. 4 *Gen.* II. 13. 5 *Joseph.* Ant. VIII. 2.

sic

sic & in [1] *Tirhakæ* historia *Sennacheribo* coævi, cujus *Chus* pro *Æthiopia Græci* pariter accipiunt Interpretes. Inde factum, ut è *Madianitide* in [2] *Æthiopissam* migraverit *Mosis* uxor *Zippora*, occasionemque dederit fabulæ de *Mosis* uxore alia filia Regis *Æthiopici*. Dedit nobis illam [3] *Josephus*: non tamen à se confictam, sed haustam potius ex [4] *Artapano*, cujus scrinia compilarit *Cornelius Alexander Polyhistor*, qui scripsit ipse sub *Sulla*. Ita *Sulla* ipso *antiquior* illa quoque fuerit Interpretatio, ex ipso quoque *Textu* nata, qualem illum tradiderint primi Interpretes sub *Ptolemæo* etiam *Philadelpho*. Atqui locum plane nullum habere potuit tam crassus *error*, si ab ipsius *Alexandri* temporibus tot fuissent, quot creduntur, hujus *Parapli* testes, ab extimo *Indi* ostio usque ad *Euphratem*. Qui enim ex *Indo* etiam in *Oceanum* navigaverant; quo pacto fieri potuit ut de illius aliquo cum *Nilo* confluxu somniarint? Qui etiam *Tigridis Euphratisque* commune ostium in *Oceanum* habebant exploratum; cur, quæso, amplius de communi aliquo eorum cum *Indo* aut *Nilo* alveo vel suspicarentur? Sed sero tandem Veteres ex his tam crassis erroribus quasi expergefacti è veterno evigilarunt. Non sane diu ante exitum *Ptolemæorum*. Itaque tum primum factæ sunt in *Orientem* Navigationes, quibus compertum est, ne quidem *alveum* ullum fuisse *Indo* atque *Nilo*, nedum *Tigridi Euphratique* communem.

§. 9. Sub *postremis* præsertim *Ptolemæis* confictæ pleraque de *Alexandro* Historiæ. Certe hæc *Nearchi*.

Cæterum sub postremis *Ptolemæis Nearchum* hunc, similesque alios ejusdem farinæ multos, qui coævorum *Alexandro* nomina personabant, confictos esse suspicor. Erant quidem primi quoque ante *Alexandrum* Historici, pro *Poëtarum*, quibus successerant, exemplo, *fabellis* conditi, eo artificio, ut Lectoribus undequaque prodessent, & cum *falsis dulcibus vera* etiam *utilia* propinarent. Sed nondum invaluerat exemplum, ut *nihil* prorsus *Historicum* complecterentur *Historiæ Prosaicæ*. Postea invaluit: & quidem in styli *soluti* Libris, nec *Poësim* professis. Adhibent *temporum locorumque* circumstantias: edunt *ducum*, qui itinera navigationesque obierint, etiam *nomina*: nec, si unicam *veritatem* exceperis, *Historici decori* quippiam prætermittunt. Ita factum ut, sub *Ptolemæis*, *Geographia* omnis locorum parum *exploratorum* fuerit incertissima. Sic fuit hoc ipso, in quo versamur, nomine infamis [5] *Antiphanes Bergæus*. Simili exemplo erant & alii, [6] *Antonius Diogenes* de *incredibilibus Thules*, & [7] *Pytheas Massiliensis*; de *Panchaia* & Templo Jovis *Triphylii* [8] *Euemerus Messanensis*;

1 IV Reg. XIX. 9. Is. XXXVII. 9. 2 Num. XII. 1. 3 *Joseph.* Ant. II. 5. p. 59. 4 Ap. *Euseb.* Pr. Evang. 5 *Strabo* sæpe & *Steph. Byzant.* 6 *Phot.* Cod. CLXVI. 7 *Strab.* L. I. p. 63. & alibi passim, aliique. 8 *Strab.* L. II. p. 102. VII. p. 299. &c.

nensis; de Insulis fortunatis [1] *Iambulus*, antiquior certe [2] *Diodoro*. Talis [3] *Euthymanes Massiliensis*. Talis antiquior etiam *Alexandro* [4] *Damastes Sigæensis*, quem *Antiphani* confert & *Euhemero Strabo*, prorsusque indignum censet qui ab *Eratosthene* testis advocetur. Non tamen illum *totum* fuisse mendacem exinde constat, quod ejus testimonium alibi advocet admittatque ipse [5] *Strabo*. Post *Alexandrum* autem erant hi fabulatores longe, quam *antea*, frequentiores. Inde queritur [6] *Polybius* de rara admodum, ut vidimus, Navigantium *fide*. Et Periplos sua ætate multos agnoscit [7] *Marcianus Heracleota*, stadiorum etiam *numero* designatos, regionum gentiumque, quarum ne *nomina* quidem fuissent explorata. Et quidem ansam uberrimam suppeditabant res ab *Alexandro* gestæ maximæ Historiis sub illius nomine *fingendis* rerum etiam *maximarum*. Pro eodem scilicet exemplo, quo etiam postea Historias *commentitias Romanas* appellabant; cum rerum gestarum magnitudine gentium aliarum *Historias* longo intervallo superarent Historiæ *Romanæ*. Tum vero potissimum consentaneum erat, ut *Alexandri* nomine *fabulæ* conderentur, cum nondum res *Alexandri* vere *magnas* obscurassent res *majores Romanorum*, saltem apud *Græcos*. Pertigit hæc Epocha ad annum *Varron.* 691, quo *Pompejus* ultimam manum imposuit Bello *Mithridatico*. Fecerunt enim illius victoriæ ut *Romani Græcis* ubique inclarescerent: non *mox* tamen inolevit memoria *Alexandri*. Imo erant, apud *Græcos* certe, qui res unius *Alexandri* cum *Romanis* omnibus contenderent; qui *pares* fecerint, vel etiam *superiores*. Ita rem fuisse docet [8] *Livius*. *Plutarchus* autem Libris de *fortuna Alexandri* & *de fortuna Romanorum Alexandro* primas tribuendas esse censet. Ipse nempe stirpe *Græcus*. Inde fieri potuit, ut *Græci* etiam *Epocha* prædicta *juniores* Historias mirandas sub *Alexandri* nomine comminiscerentur. Sic *Græci* etiam *Barbari*, alium quidem à Veteri, sed similiter *mendacem*, procuderunt *Callisthenem*, de rebus *Alexandri* Magni. *Maximam* autem *partem* Auctorum de hoc Argumento *fictitiorum* hac ipsa, quam dixi, *Epocha* concludendam existimo. Sic tamen, ut paulo fuerit *junior*, de quo agimus, *Nearchus*.

§. 10. *Paraplus Nearchi* majoris Operis erat tantummodo *pars*: uti etiam *Onesicriti*.

Quod porro *Paraplum Nearchi* excerpserit tantummodo *Juba*, & cum *Romanis* suis communicarit, non est profecto cur miremur. Erat enim majoris Operis *lacinia* duntaxat ille ipse *Paraplus*. Res enim *Alexandri*, in Expeditione *Indica* saltem, omnes executus fuisse videtur, quicunque

1 *Lucian.* Ver. Hist. 2 *Diodor.* L. II. 3 *Aristid.* Orat. Æg. 4 Ap. *Strab.* L. I. p. 47. L. XIV. p. 648. 5 *Strab.* L. XV. p. 583. 6 *Polyb.* L. III. c. 38, 58. 7 *Marcian. Heracl.* p. 62. 8 *Liv.* L. IX. c. 17, 18, 19.

demum

demum is fuerit, qui *Nearchi* nomen personamque suscepit. De Populis *Asiæ prædatoribus*, etiam *mediterraneis*, locum adducit è *Nearcho* [1] *Strabo*. Idem ex eodem rationem adducit cur per [2] *Gedrosiam* duxerit *Alexander* exercitum. Et magnitudinem *Indiæ* universæ itinere *pedestri* idem describit ex eodem [3] *Strabo*. De arboribus porro *lanam* producentibus *Nearchi* testimonium adducit idem [4] *Geographus*. Hæc, quæso, quid ad *Paraplum*? Recte ergo *Juba*, non opus *integrum*, sed *partem* duntaxat, quæ ad *Navigationem* spectabat, in usus suos convertendam esse censuit. Quo minus hoc miremur in *Nearcho* facit quod idem ab *Onesicrito* factum ipse testetur [5] *Arrianus*. Opus enim *Onesicriti* sic appellat: ξυγγραφὴν ἥντινα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ξυνέγραψε. Quare illius quoque Operis *lacinia* erat, quam cum *Romanis* suis communicavit, *Onesicriti Paraplus*.

§. 11. *Onesicritus* etiam falsi *suspectus*.

Quicquid autem de *Nearcho* sentiendum sit, at certe *Onesicriti* rationes hausit è *Juba Plinius*, tanquam è primario *Latinorum* fonte. Nec quenquam habemus, quod quidem sciam, qui ante *Jubam Onesicriti* vel *mentionem* fecerit. Minus ergo habet quo se hic tueatur *Rex* patronus *fabularum*. Est etiam fortasse quo *falsi* evincatur. De eo testem ipsum habemus [6] *Arrianum*: Τοῦτο (inquit) ἐψεύσατο, ναύαρχον ἑαυτὸν εἶναι γράψας, κυβερνήτην ὄντα. Sed qua demum fronte hoc audere potuit apud *coævos*? Qua, quæso, spe, fore ut *lateret*, cum tot essent in contrarium testes, quot fuissent in classe *milites*, aut *victores*? Sed coævum *Alexandro* testem, quo tandem meliori testimonio opprimere potuit *Arrianus*? Alio scilicet quod *coævum* credebatur, nempe *Nearchi*. Atqui utrumque, in re tam manifesta, sibi invicem contrarium, *coævum* esse non potuit. Cur ergo *Nearchum*, qui se *Nauarchum* prædicabat, *Onesicrito* anteferendum esse duxit? Illa potissimum, ni fallor, causa, quod *prior* prodiisset in lucem falsarius sub nomine *Nearchi*, quem tamen contemnere potuit Auctor *Onesicriti*, quod *originibus* illis multo *juniorem* esse nosset, recenti tunc memoria confictum, nec adeo sese *multo* antiquiorem. Facile enim vidit, nondum eam esse *Nearchi* fidem, ut pro *coævo* temporum *Alexandri* monumento haberetur; se autem, si hoc à *posteris* impetrasset, ut fraudes ejus *procederent*, id potius assecuturum, ut damnaretur æmulus *Nearchus*, si quid contrarium sibi prodidisset. Ita poterant ratiocinari, magno demum intervallo interposito, *Impostores*. Vix autem poterant *sinceri* eorumque, quibus censebantur temporum, *Auctores*. Scio quidem fuisse etiam *Alexandri* temporibus coævum *Onesicritum Dioge-*

1 *Strab.* XI. p. 524. 2 *Strab.* XV. 686. 3 *Strab.* XV. 689. 4 *Strab.* XV. 693.
5 *Arrian.* Exped. *Alexandr.* L. VI. 6 *Arrian.* L. VI. Exped. *Alexandr.*

nis

nis Cynici discipulum: nec me fugit *illum* pro *Peripli* Auctore haberi à [1] *Plutarcho*. Sed cum illius Scripta recenset *Laërtius*, nihil habet quod ad hunc *Periplum* commode referri possit. Confert ille cum *Xenophonte* nostrum Onesicritum. *Ille* ([2] inquit) *cum Cyro, hic cum Alexandro militavit. Ille Cyri Institutionem, hic Alexandri scripsit*, nempe Πῶς Ἀλέξανδρος ἤχθη. *Ille Cyri, hic Alexandri prosequitur laudes. Est autem & stylus utriusque simillimus, nisi quod, ut exemplar ex archetypo, minoris sit æstimandus.* Eundem scilicet intelligit *Onesicritum*. Nihil hic de *Periplo*, sed de *educatione Alexandri*, qualia de *Cyri Institutione* scripserat ante *Onesicritum Xenophon*. Nec aliter sentiendum, ut opinor, de *aliis* hujus ejusdem Navigationis Scriptoribus.

1 *Plutarch.* Alex. 2 *Laërt.* L. VI. n. 84.

DISSER-

DISSERTATIO SEPTIMA.

De Scriptis & Ætate *Marciani Heracleotæ*.

§. 1. *Itineraria* collegit *Marcianus*, forte *Occidentalis* atque *Orientalis* Imperii.

COævam ſibi *Geographiam* excoluit, pro virili ſua, noſter ille *Marcianus*. Non quidem *novis*, quas obierit, *Navigationibus*; ſed è deceſſorum *Scriptis*, quæ quidem videbantur *accuratiſſima*. Scripſit ergo *Periodos* & *Periplos*, tam ſcilicet *Itineraria pedeſtria* quam *maritima*, pro exemplo junioris, de quo ſupra egimus, *Scylacis*. Πρώτην περιόδων ſub nomine *Marciani* advocat [1] *Stephanus*. Jam ſane vidimus, Periplos *Scylacis* atque *Arriani* ex multis invicem *junctis* conſtitiſſe Paraplis. Sic & *majora Itineraria* pedeſtria è *breviorum Itinerariorum* nexu conflata eſſe conſtat. Recte tamen illa ita *annexa*, quoties infra eoſdem *terminos* verſarentur, pro *unico* haberi poterant *Itinerario*. Quoties autem *limitibus diverſis* circumſcripta *diverſas* plane, nec ſibi invicem *continuas*, lineas deſcriberent, diverſaſque reſpicerent *cæli* plagas; tum certe rectius *Itineraria*, quam *Itinerarium*, appellanda erant. Hoc enim diſcrepabant invicem *Itineraria* atque *Peripli*: quod orbis tum cogniti *Parapli* & *Peripli* omnes *unicum* totius *Orbis* conficiebant *Periplum*, quà maris *interioris* oras omnes cum oris *Oceani*, ſeu maris *exterioris*, committebant. Non ita ſe res habebat in *Itinerariis*. Nunc enim *parallela* erant *Itineraria*, nunc etiam ſe invicem *interſecabant*, ut proinde nec ad unam *lineam*, nec ad unum *corpus*, referri omnia *Itineraria* potuerint. Recte ergo *plurali* numero *Marciani* Opus illud inſcribebatur. Sed pluſquam πρώτην Περιόδων plane non legimus. Non itaque, ut opinor, intellexit πρώτην Περιόδων. Numerum enim *magnum* proculdubio confeciſſent Περιόδους, ſi in unum omnes eundemque numerum veniſſent. Erat ergo πρώτη Περιόδων βίβλος, *primus* quidem Operis *Liber*, qui tamen *multa* complectebatur *Itineraria*. Sed cum numerus *auctior* nuſpiam occurrat, ſubit ſuſpicio, Opus univerſum *duorum* tantummodo fuiſſe *Librorum*:

1 *Steph.* Ἀσσία.

I nempe

nempe pro exemplo *Itinerarii* quod vulgo appellatur *Antonini*: ut ſcilicet *Liber prior* Imperii *Occidentalis* itinera deſcripſerit; *poſterior* autem Imperii *Orientalis*. Cœperit prior, ut videtur, ab itineribus à *Roma* Imperii *Occidentalis* Metropoli per *vias* omnes *publicas*. Sic enim deſcribuntur in prædicto *Antonini* Itinerario, & in Tabulis *Peutingeranis*. Huc itaque retulerim quod habet alibi è noſtro itidem *Marciano Stephanus*: Ἄμισσα, πόλις Γερμανίας· Μαρκιανὸς ἐν τοῖς ἀπὸ Ῥώμης ἐπὶ τὰς διασήμους πόλεις. A *Roma* certe ipſa ad *Amiſſam*, *Embden* hodiernam, in ſupremos *Germaniæ* fines pertigit hoc *Itinerarium*. Eodem ſpectabat & *lemma* illud, quod in hodierno legimus [1] *Marciano*, περὶ τῶν ἀπὸ Ῥώμης πρὸς τὰς ἐπισήμους τῆς οἰκουμένης πόλεις διαστάσεων. Ubi docemur in illo *Itinerario* fuiſſe *ſpatia*; ſeu *ſtadia* illa fuerint, ſeu, pro harum partium recepto more, potius *milliaria*. Sed nihil ſpectabat illud *lemma* ad hodiernum, in quo legitur, *Marciani* Periplum, ſed potius ad *Periodos*: & ad *priorem* illum, quem dixi, *Periodorum* Librum. Loquitur ita, fateor, quaſi ab *unica* Urbe *Roma* illa ad celebres omnes per οἰκουμένην *Urbes* deſcriberentur *Itineraria*: quaſi vero nulla eſſet Urbs *Roma* alia, quæ *nova* appellabatur, unde ſimiliter eſſent deſcribenda, nempe *Conſtantinopolis*. Hoc ſi verum, ita ante conditam *Conſtantinopolim* vixerit *Marcianus*. Idque fortaſſe verius eſt. De quo tamen quid ſit ſentiendum magis conſtabit ex infra dicendis. Sed mirari ſubit cur in plures *Libros* hæc diſtributa fuerint *Itineraria*, niſi fuiſſent quæ ex *ambabus Romis* exordium cepiſſent. Erant ſane, etiam poſt fundatam *Conſtantinopolim*, rationes, cur ita loqueretur. Ut *Romanum* Imperium *univerſum* οἰκουμένη appellabatur, ita poſtea, ne *majeſtas Imperii* imminuta videretur, etiam, cum *duo* eſſent *Imperia*, ſub *duabus Romis*, ſingula pariter Οἰκουμέναι appellabantur. Inde *Concilia* Imperii Orientalis *Oecumenica* appellata videmus, etiam cum nulli adeſſent ex *Occidente* vel *legati*. Ita certe ſe res habuit in Concilio *Conſtantinopolitano* I°. Inde Patriarcha *Conſtantinopolitanus* ambivit, ut ipſe *Oecumenicus* appellaretur, hoc tantum, ut videtur, conſilio, ne *nova Roma veteri*, hac etiam ex parte, haberetur *inferior*. Sed nihil eſt cur dubitemus, quin ex *Itinerariis*, hac etiam diſtributione Imperii *antiquioribus*, ſua multa deſumſerit *Marcianus*. Egerant enim de hoc Argumento (ut ex *Plinii* Indicibus apparet) jam olim amicus Auguſti *Agrippa Vipſanius*, atque ipſe etiam *Auguſtus*, & *Domitius Corbulo*, & *Licinius Mucianus* ter *Conſul* amicus *Veſpaſiani*. His *Roma* certe erat *unica* duntaxat, ad quam *Itineraria* Imperii omnia eſſent exigenda. Itaque in *horum* Auctorum *Excerptis* ita *Marcianum* loqui conſentaneum erat, ut locuti fuerant Auctores, quos ex-

1 *Marcian.* Peripl. p. 34.

cerpſerat,

cerpſerat, cum nihil ille proprium addiderit quod non ex aliis *excerpſerit*. *Poſteriorem* autem certe (ſi quis tamen fuerit) *Itinerariorum Librum* ex Auctoribus hauſit *Conſtantinopoli* junioribus, qui ſimilia ex Urbe *illa* in *Provincias* undequaque ſitas collegerant *Itineraria*. Alia plane forma advocatur hic idem *Marcianus* à [1] *Stephano* ἐν πρώτῳ Περιόδου. Quaſi vero unius ejuſdemque Περιόδου duo fuiſſent Λόγοι. Sed nulla erant *Romanorum* in *Æthiopia* illis temporibus *Itineraria*. Et ſiqua fuiſſent, Μόσυλον ἀκρωτήριον & ἐμπόριον nemo eſt quin facile videat Περίπλου potius fuiſſe, quam Περιόδου. Itaque vix eſt cur dubitemus, legendum potius πρώτῳ Περίπλῳ. Certe Περίπλουν πρώτην, ut ibi legitur, advocat alibi in *Æthiopia* idem [2] *Stephanus* ex eodem *Marciano*.

§. 2. Contraxit, ſupplevitq; Geographiam *Artemidori*.

Sed in *Periplis* potiſſimum eluxit opera noſtri *Marciani*. *Artemidori Epheſii* nomen erat in re *Geographica* celeberrimum. Hujus ergo Libros XI in [3] Epitomen redegit noſter, ſervato Librorum *ordine* atque diſtinctione, reſectis quidem quæ ad rem facerent *Geographicam*; ſuppleto tamen *Periplo*, quæ ibi deerant, aliunde *tranſlatis*. Sed ex *antiquis* etiam, pariſque cum *Artemidoro* fidei, Auctoribus. Cavitque ſedulo ne Lectorem lateret quid ſcripſerat *Artemidorus*; quidve *aliunde*, ex aliorum Scriptorum fide, addiderat ipſe *Marcianus*. Sed periit Opus illud jamdiu, tam ipſius *Artemidori*, quam ejuſdem *Epitome* à *Marciano* elucubrata. Fragmentum, quod occurrit hujus Editionis p. 61, nihil complectitur illius *Epitomes* præter *titulum* ipſum, & quæ ſequuntur *lemmata*. Sequens enim *Præfatio* ad Librum 2m ſpectabat *Peripli* maris *Exterioris*, ut legenti conſtabit. Fruſtra ergo quis ſpectabit hic teſtimonia veterum ex illa *Artemidori Epitome* à *Stephano* aliove quovis veterum adducta. *Tempus* autem *Artemidori* deſignavit noſter omnium accuratiſſime *Marcianus*, de quo & nos nonnulla diximus in [4] *Agatharchide*. Hunc *Periplum* primum edidit *Marcianus*. Reſcidit autem ex *Artemidoro* Barbarorum civitates *Æthiopicas*. Quod quare fecerit, me fateor non videre. Nam in hac ipſa *Æthiopia*, præ aliis *Græcis* omnibus *Agatharchidem* atque *Artemidorum* à veracitate laudat expertus ipſe [5] *Diodorus*. Niſi forte indignas illas *Barbarorum* civitates judicarit, quæ in *Peripli* rationes venirent *univerſalis*.

1 *Steph.* Μόσυλον. 2 *Stephan.* Γυψῖτις. 3 *Marcian.* p. 1, 2, 35, 65. 4 *Diſſ.* III. §. 5. 5 *Diodor.* L. III.

§. 3. Similiter fecit in *Menippo*, qui *Marciano* ipso non *multo* senior fuisse videtur.

Postea *Menippum* simili exemplo edidit supplevitque *Marcianus*. *Menippus* ille *Pergamenus* tribus Libris Maris *Mediterranei* Periplum complexus est cum narratione *Historica* atque *Geographica*. Sed *Periplum* solum excolendum susceperat *Marcianus*. Viderat proculdubio aliquid in *Menippo Marcianus*, quod desideraverat in *Artemidoro*. Quid tamen illud fuerit, non satis aperte explicavit. Sed *Menippus* ille quando vixerit, nondum Eruditi habent exploratum. Suspicor autem proximum fuisse temporibus *Marciani*, qui *Artemidorum* non ex *antiquis* tantummodo locupletaverit, quod fecit ipse *Marcianus*, sed novis etiam *juniorum* inventis fecerit auctiorem. Certe nec admodum *antiquum* fuisse, nec sibi quoque tamen parem, innuit, ni fallor, ipse *Marcianus*. Recensuerat *Catalogum* Scriptorum, qui hoc eodem ante se *Argumento* fuissent occupati. Subjungit deinde: [1] Μετὰ δὲ τούτων τοὺς πλείστους Ἀρτεμίδωρος ὁ Ἐφέσιος γεωγράφος, καὶ Στράβων γεωγραφίαν ὁμοῦ καὶ περίπλουν συντεθεικότες, Μένιππός τε ὁ Περγαμηνὸς διάπλους γράψας ἀκριβέστερον δοκοῦσι πάντων τῶν προειρημένων τυγχάνειν. Ait ergo hosce *tres* plerisque supra recensitis ætate fuisse *juniores*. Et tamen viceversa innuit, è prædicto numero fuisse saltem aliquem, qui his ipsis fuerit ætate *junior*. Itaque *Marciano* superior fuit, qui fuit horum *trium* ordine postremus. Nec *temere* illos, aut, ut in mentem veniebant, recensuit, ut videtur, *Marcianus*; sed potius pro ordine, qua quisque vixit, *ætatis*. Hoc si verum; ut *senior* erat *Strabone Artemidorus*, ita *Menippo* senior fuerit ipse *Strabo*. Id quod sane verisimillimum est. Esset enim alioqui sane cur miraremur, quod tam accuratum *Geographiæ* artificem *Strabo* nuspiam advocarit. Ita autem illius non meminit *Strabo*, ut ne quidem meminerint *Strabone* juniores, quorum *ætatem* habemus *exploratam*. Non certe uno alterove Sæculo *Straboni* propinqui. Non *Mela*, non *Plinius*, non *Ptolemæus*, non eo ipso loco [2] *Laërtius*, quo sibi cognitos *Menippos* omnes recensuit, *sex* in universum, in his tamen nullum, qualis noster erat, *Geographum*. Non *Pausanias*, non *Athenæus*, non alius quispiam (quod quidem scimus) *Marciano* senior. Certe *Artemidoro* juniorem fuisse aliunde constat. *Hispaniæ* nullas Provincias distribuerat [3] *Artemidorus*, veteres duntaxat duas, quas *ulteriorem citerioremque* appellat *Livius*. *Tres* agnoscit [4] *Marcianus*, *Taraconensem*, *Bæticam*, & *Lusitaniam*. Unde, quæso, hæc præterquam è *Menippo*, cujus vestigia post *Apollodorum* pressit noster *Marcianus*. Sed vero ab *Augusti* dispositione, & à *suis* usque temporibus hanc Provinciarum ternariam partitionem ar-

1 *Marcian.* Peripl. p. 63. 2 *Laërt.* L. VI. n. 101. 3 *Marcian.* p. 46. 4 *Marcian.* Peripl. p. 38. Steph. Ἰβηρία. *Constantin.* de Admin. Imp. c. 23.

cessit

ceſſit [1] *Strabo*. Nec refragantur [2] *Tacitus* atque [3] *Dio*. Itaque *Auguſto* juniorem *Menippum* noſtrum non probat hæc *temporis* nota. Porro *Pontorum* duorum *Periplum* idem complexus eſt [4] *Menippus*. Erant ergo, cum ſcriberet *Menippus*, jam duæ *Romanorum* in *Ponti* regione provinciæ: & quidem, ut videtur, *continuæ*, quod ad *ambas* Provincias idem ſpectarit *Periplus*. Nihil ergo cum his Provinciis commune habuit *Pontus Bithynicus*. *Artemidori* tempore nulla erat *Romanorum* in *Ponto Provincia*, nondum debellato *Mithridate*, nedum *Pharnace*, quem è *Ponto* fugavit *Julius*. Hinc ſane manifeſtum eſt, non ſolo *Artemidoro*, ſed *Julio* quoque *Cæſare*, juniorem fuiſſe *Menippum*, cum jam in *binas* tribueretur Provincias *Pontus Mithridatis*. Recenſet *Ptolemæus* tres in illa ipſa *Ponti* Regione Provincias, *Pontum Galaticum*, *Polemoniacum* & *Cappadocium*. Sed quæ demum fuerit illarum *tertia*; aut an *Ptolemæi* demum ætate cœperit, non facile inde intelligimus. Pontum *Polemoniacum* à [5] *Nerone* Provinciam eſſe factam conſentiunt Auctores. Sed *ultima* fuerit trium illa, an *ſecunda*, nondum conſtat. *Tertiam* potius fuiſſe ſuſpicor, quod *Halym veteris Ponti* limitem nullatenus attigerit, ſed *media* inter extremas ſita fuerit. *Neronis* anno XI tribuit *Euſebius*, Æræ proinde noſtræ *Chriſtianæ* LXV. Proinde ante annum *illum* ſcripſerit *Menippus*, niſi poſtea rurſus alterutrius *Ponti*, vel *Galatici* memoria ſublata, ita demum ad *binarium* numerum iterum *Ponti* Provinciæ redactæ fuerint. Quod ſane incredibile non eſt, cum nomina illa adeo raro apud Auctores occurrant. Imo ita rem fuiſſe, ut puto, neceſſe eſt. Vetat enim *Menippi* tam ſera mentio apud *certæ* ætatis Auctores, ne illum adeo antiquum fuiſſe credamus. Vetant & alia, quæ infra proferemus. *Galliam* præterea [6] noſter *quadripartitam* facit, addita reliquis partibus Provincia *Narbonenſi*. *Auguſtum* autem fuiſſe qui *Narbonenſem* Provinciam inſtituerit, docet [7] *Strabo*. Suffragatur *Ethicus*, qui cenſui *Auguſti quadripartitam* illam tribuit, quam ſequitur ipſe, *Galliæ* diſtributionem. Aliter vix eſſet ut in rebus tam antiquis *Ethico* fidem adhiberem. Porro quod *Pontum* & *Propontidem* ſeorſim ab *Europa* atque *Aſia* deſcripſerit *Menippus*; cur factum arbitrabimur, niſi ut à *Patria* ſua *Pergamo* Periplum inciperet? Quod hoc monendum duxerit [8] *Marcianus*; quo, quæſo, retulerimus, niſi ut methodi ſuæ, quæ eadem futura erat cum ea qua præceſſerat *Menippus*, Lectorem ita admoneret? Et ſane conveniunt cum Provinciarum terminis à *Marciano* aſſignatis loca è *Menippo* à *Stephano* memorata. *Harmene Menippo* κώμη erat Πα-

1 *Strab.* L. III. p. 166. L. XVII. fin. 2 *Tacit.* Ann. IV. 5. 3 *Dio* L. LIII. 4 *Menip* ap. *Steph.* Χαλδία. 5 *Suet.* Neron. 18. & *Eutrop.* & *Malel.* 6 P. 46. 7 *Strab.* L. VI. p. 177. 8 *Marcian.* p. 67, 68.

φλαγονίας. Et hîc illam limitibus *Paphlagoniæ* concludi videmus. *Euarchus Paphlagoniam* & *Cappadociam* terminabat pro ſententia [1] *Menippi* : ut *Paphlagoniam Pontique* duplicem Provinciam ſecrevit idem *Euarchus* pro ſententia *Marciani*. Veteres enim *Cappadociam* ad *Pontum* uſque *Euxinum* porrexiſſe idem monet [2] *Marcianus* : Νυνὶ δὲ μετὰ τὴν Παφλαγονίαν τὰ ἐχόμενα μέχρι τῶν Βαρβαρικῶν ὁρίων ἰδίως Πόντος καλεῖται· διῄρηται δὲ εἰς ἐπαρχίας δύο. Poterat fortaſſe quiſpiam ex hoc *Marciani* loco colligere, multo *Marciano* antiquiorem fuiſſe *Menippum*, quod veterum illud nomen *Cappadociæ* uſurparit hoc in loco *Menippus*. Poterat ſane, niſi aliunde conſtaret è tot aliis *Stephani* locis *Ponti*, duorumque *Pontorum*, titulum, quem ſuorum temporum fuiſſe tradit *Marcianus*, etiam *Menippo* ipſi placuiſſe. Hinc enim potius è contra colligitur *coævos* fuiſſe, qui *coævorum ſermonem* ambo uſurparint. Convenit porro quod *Tion* Urbem & fluvium *Billæum* pro communi *Bithyniæ Paphlagoniæque* termino agnoſcant ambo tam *Menippus* quam *Marcianus*. Hoc eo magis obſervandum, quod *Parthenium* limitem ſtatuat [3] *Arrianus*; & lineam à *Cotyoris* poſt *Parthenium* ductam, paulo junior *Arriano Ptolemæus*. Vel inde colligitur *alterius* ambos fuiſſe Sæculi, quam quo vixerint *Arrianus* atque *Ptolemæus*. Ex his ergo, aliiſque omnibus, locis, quibus *Menippum* advocavit *Stephanus*, manifeſtum eſt, idem cum *Menippo* ſentire hodiernum quoque *Marcianum*, etiam in iis quæ erant *Menippo* ſingularia.

§. 4. De *Menippi* ætate alia.

Sed vero jam vidimus in exemplis modo recenſitis Provinciarum illam diſtributionem, illi proximam quam fecit *Auguſtus*, ob oculos habuiſſe *Menippum*, & propterea quoque qui *Menippum* ſequebatur, *Marcianum*. Nec ab illo tempore longe hoc ipſum diſcedit exemplum. Sentit enim cum *Menippo* & *Marciano* de finibus *Bithyniæ* & *Paphlagoniæ*, *Tio* Urbe & fluvio *Billæo*, etiam *Plinius*. En verba : [4] *Oppidum Tium, ab Heraclea triginta octo millibus paſſuum. Fluvius Billis. Ultra quem gens Paphlagonia*, &c. Sic ante *Plinium*, *Claudio* etiam Imperante, [5] Mela : *Tum Tios oppidum, Mileſiorum quidem colonia, ſed jam ſoli gentiſque Paphlagonum*. Sed nulla tum mentio fluminis *Billæi*: & ne quidem apud *Strabonem*. *Teji* quidem meminit *Strabo*, ſed quaſi *obſcuræ* cujuſdam urbeculæ, quæ nihil haberet memoria dignum. Eo autem magis propendet ut Provinciarum limitem Geographus agnoſcat in fluvio *Parthenio*. Sic enim habet, [6] Εἶθ' ὁ Παρθένιος ποταμὸς, &c. Ἔπειτα ἡ Παφλαγονία, καὶ οἱ Ἐνετοί. Ita nondum ſub *Auguſto* obtinuerit limes ille *Menippi*, ſed inter tempora *Strabonis* &

1 *Steph.* Καππαδοκ. 2 *Marcian.* p. 73. 3 *Arr.* Pont. *Eux.* 4 *Plin.* N. H. VI. 1. 2. 5 *Mel.* I. 19, 41. 6 *Strab.* L. II. p. 543.

Melæ,

Melæ, vel etiam *Plinii*. Sed ne quidem ita cum diſpoſitione Provinciarum, quam tradidit *Mela*, conveniet *Menippus*. *Mela* finem *Paphlagoniæ* ibidem facit *Armenen*, quem noſter potius in fluvio ponit *Euarcho*. Cum *Plinio* melius conveniet, in quo pro incognito *Vareto*, *Euarchum* repoſuit *Harduinus*: nec id pro *ſitus* rationibus abſurde. Ideone ſaltem ad *Plinii* ætatem *Menippum* referemus? Diu autem poſt *Plinium* floruit, qui primus *Menippi* meminerit. Nondum video quiſquamne illius meminerit antiquior *Agathemero*. Hæc ſi vera ſit Obſervatio, *poſterioribus* demum fortaſſe temporibus eadem redierit, quæ *olim* fuerat recepta, *Provinciarum* diſtributio, *duabus* Provinciis in *unam* à juniore aliquo *Principe* redactis. Faciles enim ſunt in rebus à Principum *arbitrio* pendentibus id genus vices. Sed jam vidimus in *Scylace* quam ſit ſolenne ut loca, quorum memoria olim intercidiſſet, ita nihilominus recenſeant *juniores*, quaſi *ſua* etiamnum ætate inviolata permanſiſſent: illi præſertim qui non ſibi *explorata* ſcribunt, ſed quæ *fidei* debent *alienæ*. Hoc autem cenſu fuiſſe veriſimillimum eſt tam *Menippum*, quam ipſum quoque *Marcianum*.

§. 5. Opus *Marciani* hic Editum aliud ab ejuſdem *Artemidoro* & *Menippo*. Ætas *Protagoræ*.

Male tamen, ut dixi, prædictas *Artemidori* & *Menippi* Editiones ad hodierna, quæ debemus *Hæſchelio*, *Marciani* noſtri fragmenta retulerunt Viri Eruditi. Nam ad mare (quod *interius* appellavit *Marcianus*) ſpectabat Epitome illa *Artemidori*. Idque, ni fallor, docet ipſe *Marcianus*. De mari illo, quod vocat ipſe καθ' ἡμᾶς, non certe alio quam interiori, ita ſubjungit: [1] Τὸν μὲν ἐν Περίπλοιω τῆς θαλάττης ζώτης διὰ τῆς ἐπιτομῆς τῶν ιά βιβλίων Ἀρτεμιδώρου τοῦ γεωγράφου σαφῆ κατεστήσαμεν, ὡς προείρηται. *Oceani* autem *Orientalis Occidentaliſque* Periplum οἰκείῳ πόνῳ aſſerit, ut proinde locum ibi nullum habuerit *Artemidorus*. Verba illa, ὡς προείρηται, hinc etiam ſuperiora eſſe explicanda docent, quo loco de eodem egerat (de quo hic etiam loquitur) Argumento. Locus ille mox initio Operis occurrit, quo monuerat, ſe nuper inventorum adjectione effeciſſe, ut in ea parte Geographiæ, quam excoluerat *Artemidorus*, nihil deſideraretur, [2] ὡς μηδὲν ἐνδεῖν πρὸς τελειοτάτην σαφήνειαν τοῖς περὶ τοῦτο τὸ μέρος τῆς Γεωγραφίας σπουδάζουσιν. Hic ſententiam finiendam arbitror, & deeſſe deinde verba nonnulla, quibus tranſitum fecerit ad Operis à ſe ſuſcepti conſilium. Proximæ vocis initium fuiſſe à *vocali* facit ſaltem ut ſuſpicemur, ν finalis in præcedentis vocis *fine*. Docet quidem, fateor, etiam extra columnas in *Oceano* navigaſſe *Artemidorum Strabo*: imo & [3] noſter. Sed non aliunde illum quam ab Oceani [4] ἑσπέρᾳ Periplum ſuum inchoaſſe, mox ipſo ſui Operis

1 P. 6. 2 P. 2. 3 P. 65. 4 P. 1. 5.

ris initio docet *Marcianus*. Hinc etiam colligimus maris fuisse *interioris*. Nam ab *Oceani* ἰκρῷ Periplus cœperit oportet *Oceani*. Imo [1] alios ab *Artemidoro* Auctores in hoc suo *Oceani* Periplo se imitatum esse monet, *Ptolemæum* scilicet, & in *stadiorum* dimensione *Protagoram*. Utinam de hujus *Protagoræ* etiam ætate constaret. Arbitror autem *Ptolemæo* fuisse recentiorem, qui gradus *Longitudinis Latitudinisque*, quibus intervalla designarit *Ptolemæus*, in *stadia* redegerit. Vix enim illud credibile est à *Ptolemæo* illum discrepasse, cum tanti noster fecerit *Ptolemæum*; cum [2] θειότατον καὶ σοφώτατον; cum magno alioqui *Eratosthene*, ut *annis juniorem*, ita [3] παιδεύσει πρεσβύτερον, appellarit. Et sane in stadiorum calculo universali *Ptolemæum* ipsum ducem agnoscit, cum summam illam universalem duntaxat [4] *Ptolemæus* ipse designasset. Itaque similiter in locorum singulorum *intervallis* non aliter *stadiasmos Protagoræ* sequi potuit, nisi quà cum illa summa *universali* convenirent. Nec admodum antiquum fuisse *Protagoram*, illud, ni fallor, ostendit; quod methodum *stadiasmi* illam observarit, quam censuit [5] *Marcianus* omnium fuisse accuratissimam: ut scilicet maritimos stadiasmos *duplices* ubique exhibuerit; *majorem* alium, ex illis Auctoribus, qui viderentur propius ad excessum accessisse; alium *minorem* ex illis, qui fuissent in supputando modestiores, ut ita mediis quibusdam quasi cancellis vera spatia complecterentur. Cum aliorum *erroribus* ita occurrit, *decessoribus* errantibus *junior* esse vincitur: imo omnibus *spatiorum* Auctoribus, qui *ipsi* navigassent, *junior*, ut sententiarum omnium, quæ fuerint *extremæ*, cognosceret. *Extremis* enim sententiis constant *duplices* illius *stadiasmi*, è quibus *mediam* Lectori ipsi colligendam permittit. Quod porro fecit *Artemidorus*, idem *Menippum* fecisse testatur [6] *Marcianus*, ut *interioris* Maris Periplum tantummodo descripserit. Ut proinde alia fuerit etiam ipsius emendatio à *Marciano* instituta ab hoc, in quo versamur, Opere. Non tamen propterea negaverim, in his etiam, quæ habemus, fragmentis *Marciani Hæschelianis* occurrere nonnulla, quæ è *Menippo* acceperit *Marcianus*. Et quidem plura quam quæ debuerit *Artemidoro*. Sunt etiam in hoc ipso Opere viceversa alia, quæ nec *Ptolemæo* debuerit, nec *Protagoræ*. Agnoscit [7] ipse ἑτέρους παλαιοὺς ἄνδρας, unde excerpserit quæ *Ptolemæus* non suppeditarit, nec *Protagoras*. Vix puto illum propterea παλαιοῖς accensuisse *Ptolemæum* atque *Protagoram*, sed *alios* illis adjunxisse, qui παλαιοὶ merito habendi essent. Potuit denique & in paucis illis, quæ de locis habuit extra columnas *Herculeas* sitis, ipsum quoque sequi *Artemidorum*. Age tamen hæc fragmenta enucleatius expendamus.

1 P. 2, 35, 37, 55. 2 P. 2. 3 P. 6. 4 P. 6. 5 P. 37. 6 P. 65. 7 P. 2, 36.

Itaque

§. 6. Multa *aliena* immiſta habet hoc Opus *Marciani*. Nonnulla etiam ex ejus *Menippo*.

Itaque hunc *Oceani* Periplum (quem nos alium ab *Artemidoro* & *Menippo Marciani* oſtendimus) duobus eſt complexus *Marcianus* omnino Libris. Priori *Oceanum* deſcripſit *Orientalem* & *Meridionalem*; *Occidentalem* autem poſteriori atque *Septentrionalem*: non tamen ita quin & alia immiſcuerit *præter* oram *Oceani*. Priori quoque Libro terminos *Europæ* & *Aſiæ* & *Libyæ* non illos duntaxat aſſignat, qui in *Oceano* ſiti erant, ſed in mari etiam *interno*: & quidem cum *ſtadiorum* intervallis. Ita factum ut *maris* Periplum *utriuſque* in hoc Opere deſcripſerit, quo tamen Maris tantum *Exterioris* deſcriptionem fuerat profeſſus. Addit ſimiliter & *ſinus* atque *Inſulas* Maris *interioris* pariter ac *exterioris*. Addit denique *maritimarum Provinciarum* terminos, non illos ſolos qui *mari* prætendebantur, verumetiam illos qui à *mari* longius diſtabant, & *Provinciis mediterraneis* annectebantur. *Liber ſecundus*, ſeu *Periplus ſecundus* (*utroque* enim titulo illum deſignat *Marcianus*) primo de *Oceano* agit *Septentrionali*, & quidem ita ut *Septentrionem* verſus progrediatur. *Hiſpaniam*, *Galliam*, *Germaniam* percurrit, & *Sarmatiam Europæam*: ita ut *Provincias* omnes complectatur, tam illas quæ mari *interiori* prætendebantur, quam quæ *Oceano*. Addit & noſtras inſulas *Britannicas*. Nec eouſque ulla eſt ſuſpicio, quaſi quippiam habeant cum prædictis *Artemidori* & *Menippi* Editionibus commune hi Libri, de quibus agimus, *Marciani* de Periplo *Oceani*. Occurrit autem, fateor, p. 61 hujus Editionis Epitomes *Apollodori* fragmentum. Sequuntur *Tituli* Parapli ab *Attæa* ad *Adramyttium*, cum *Urbium* per *terram* intervallis. Deinde ab *Adramyttio* ad *Lectum*, & *Troadis* uſque ad *Sigeum*. Sed loco plane importuno. Nec enim in ſequentibus quippiam occurrit, quod his titulis reſpondeat. Quæ enim ſequitur *Præfatio* ad ſecundam illius ejuſdem Libri partem ſpectat, qua de *Oceani Occidentalis* periplo acturus erat *Marcianus*. Hoc ſatis manifeſte docent illius verba illa: [1] Περὶ δὲ τῆς διαφωνίας τῶν σταδίων εἴρηται μὲν μοι ἐν τῷ προτέρῳ βιβλίῳ, ἐν ᾧ τὸν Περίπλουν τῆς ἑώας παντὸς ὠκεανοῦ πεποίημαι. Locus, ad quem nos hoc in loco retulit, occurrit Libro hujus Operis priori p. 3. Poſtea quæ legimus poſt verba illa, [2] Διογένης δὲ ὁ Μένιππος &c. ad finem uſque *Marciani*, aliena videntur omnia ab Argumento Peripli de *Oceano*. Ad oras enim Maris *interioris* ſpectant univerſa, nec quicquam habent commune cum *Oceano*. Unius ſunt ejuſdemque ſibi, nec aliunde hauſta quam è *Menippo*. Nexum illa habent omnia *invicem*, nullum autem cum *præcedentibus*. Vidimus quidem in ſuperioribus nonnulla immiſta, quæ maris erant *interioris*. Sed hic *nihil* plane legimus, quod referri

1 P. 66. 2 P. 67.

possit ad *Oceanum*. Et longe præterea accuratius loca maritima Maris *interioris* cum *spatiis* referuntur quibus invicem distabant, quam in *alieni* Argumenti Opere spectari potuit, quo res illa *obiter* duntaxat, non autem ex professo, tractabatur. Magis ergo eo propendeo, ut hæc omnia à præcedentibus *separanda* sint, & à novo initio inchoanda, quod ad *Menippi* illam, quæ intercidit, pertinuerit Editionem à *Marciano* elaboratam. Supponunt certe in *præcedentibus* sermonem de *Menippo*, qui etiam ipse hic desideratur. Non est ergo quod miremur, si loca Veterum è *Marciano* prolata non ubique respondeant, cum adeo *mutilum* illum hodie habeamus, adeo locis alienis *interpolatum*. Desunt p. 12, quæ dicturus erat de *Æthiopia* κατὰ μέρος. Eo autem redeamus unde discessimus.

§. 7. *Menippus* forte sub *Commodo*.

Itaque cum postrema illa non *Marciani*, sed *Menippi*, fuisse probaverimus; sequitur exinde non de ætate *Marciani*, sed *Menippi*, esse pronunciandum. Age ergo videamus, siquam novam inde *temporis*, quo vixerit, notam elicere possumus. De Ἀβώνου τεῖχει *Alexandri* Pseudomantis Urbe ita loquitur: [1] τὴν νῦν Ἰωνόπολιν λεγομένην. Et quidem *Alexandri* illius rogatu impetratum, ut nomen illud mutarit, testatur *Lucianus*. Sed *Ionopolim* appellat ipse: rectiusque, ut videtur. Hoc enim consilio fortasse nomen illud *patriæ* impetravit *Alexander*, ut originem ejus ab *Ionibus* arcesseret, qui erant etiam in minori illa *Asia* celeberrimi. Vixit ergo *Menippus* post *Alexandrum*, saltem post novum illud nomen *Ionopolis*. Sed *Aboniteichi* nomine usus est sub finem *Hadriani* *Arrianus* in Periplo Maris *Euxini*. Etiam sub *Pio* idem nomen in numis observavit præstantissimus [2] *Spanhemius*. Et sub *Marco* potissimum floruisse constat illum impostorem, quo cœpit Auctore nova illa patriæ illius appellatio. Hoc inde manifestum est quod *Oracula* illius memoret *Lucianus* nulla præterquam de rebus, quæ illo Imperante contigerint. *Initio* mox illius Imperii fuisse verisimillimum est infaustum illum exitum [3] *Severiani Galli* in *Armenia*, qui ortum dederit *Bello* in *Parthos*, de quo *triumphos* & *cognomina* utriusque Principis in *numis* legimus. Eodem Imperante *pestis* erat, de qua crassum Pseudoprophetæ errorem deridet [4] *Lucianus*. Sub finem *Marci* Bellum erat in *Marcomanos* ipsum quoque pari falsarii hallucinatione similiter insigne. Etiam tempus designat [5] *Lucianus*, quo hanc gratiam patriæ impetrarit *Alexander*, cum *unicus* esset in *Imperio* Princeps. Hoc nos docent *Luciani* verba. Ait enim postulasse præstigiatorem [6] παρὰ τοῦ Αὐτοκράτορος μετονομασθῆναι τὸ Ἀβώνου

1 *Marcian.* p. 72. 2 *Ez. Spanhem.* de Præst. Numism. 3 *Lucian.* Pseud. p. 764, 765. 4 *Lucian.* ib. p. 769. 5 *Lucian.* ib. p. 775. 6 *Lucian.* ib. p. 782.

τεῖχος, καὶ Ιωνόπολιν κληθῆναι. *Solus* ergo erat in Imperio *Marcus*, cum hoc *Alexandro* concederet, vel *Alexandri* potius (ut videtur) patrono *Rutiliano*. Certumque adeo eſt poſt *novennium*, quo collegam habuit in Imperio *Verum*, elapſum, à *Marco* hoc fuiſſe impetratum, poſt annum ſcilicet Æræ *Chriſt.* receptæ CLXX. Serius eſſe potuit, dummodo ante *Marci* ſaltem *exitum* contigerit. Nec ſane longe, ut opinor, à vera *Menippi* ætate aberrabit hæc nota. Sic enim loquitur quaſi *nupera* eſſet, cum ſcriberet *Menippus*, illa *nominum* mutatio; quaſi nondum Αβώνου τείχους nomen è memoria hominum excidiſſet. Quod ſane ſcire potuit *Menippus*, *Aſianus* ipſe, & *Pergamenus*. Non longe itaque, ut puto, aberrabimus, ſi illum *Commodi* temporibus aſſignemus.

§. 8. *Formæ* quibus *Marciani* Scripta deſignantur à *Stephano*.

Placet autem obiter *formas*, quibus prædicta *Marciani* Scripta à *Stephano* advocantur, obſervare. Cum teſtis adducitur ipſe *Marcianus*, illa ejus Scripta deſignantur, quæ ſuo *nomine* ipſe inſignivit; vel ſcilicet *Periodi pedeſtres*, vel *Oceani Peripli*, vel *Itinerarium* ab Urbe *Roma* ad Urbes *inſigniores*. Ita ſcilicet plerunque. Semel enim advocatur [1] *Marcianus* ipſe è II° *Epitomarum Artemidori*. Quod ſane potuit contingere, quod locum illum, quem forte omiſerat *Artemidorus*, [2] *Marcianus* ipſe ex alio aliquo, cujus tamen nomen reticuerit, Auctore ſuppleverit. Hoc enim profitetur ipſe *Marcianus*, ita ſe in alienis Scriptis eſſe verſatum, ut nihilominus conſtaret quid *ipſe* ſcripſiſſet Auctor, & quid de ſuo aliunde ſuppleverit *Marcianus*. Porro *Menippum* non in *Epitomen* redegit, ſed, qua deeſſe viſus eſt, *auctiorem* fecit. Nec *Periplum* duntaxat *univerſum*, ſed & *partes* Peripli ſingulas, ſub *Peripli* nomine *Stephanus* advocavit, nempe *Periplum* utriuſque *Ponti*, *Periplum Paphlagoniæ*, *Periplum Bithyniæ* &c. Minus profecto accurate. Quanquam enim omnes invicem annexæ *Periplum* fecerint, quòd *circuitum* expleverint; *partes* tamen ſingulæ non explebant, proinde rectius *Parapli* quam *Peripli* appellandæ. Oram enim maritimam *prænavigabant* potius quam *circumnavigabant*.

§. 9. *Medius* inter *Menippum* & *Marcianum Agathemerus* antiquior *Conſtantinopoli*.

Jam de *Marciani* agamus ætate. Idque certum eſt inprimis, *antiquiorem* eſſe *Stephano* Lexici Geographici Auctore, à quo teſtis advocatur. Si quidem is ſit *Marcianus*, cujus meminit [3] *Syneſius*, ut credunt nonnulli, jam nihil eſſet cur de illius *ætate* ultra dubitaremus. Erat enim ille *ſenex*, cum ſcriberet *Syneſius*, qui ſub *Arcadio* potiſſimum ſcripſit floruitque. Suntque, fateor, quæ ſententiæ illi faveant, Argumenta. *Marciani* teſtimonia adduxit *Stephanus*. Idemque fecit

1 *Steph.* Μαλλάδα. 2 *Marcian.* p. 65, 66. 3 *Syneſ.* Ep. 101 ad *Pylam*.

*U de

de *Synesio*. Inde conficitur, ambos *antiquiores* esse *Stephano*. Coævos sibi *invicem* fuisse non conficitur. Erat præterea *Marcianus* ille *Synesianus* (ut nostrum appellant MSS.) *Heracleota*. Sed nihil habet *Synesius* de *Scriptis Marciani*, nedum *Geographicis*. Temere ergo de *ætate Marciani* nihil inde pronunciandum est. Aliunde quærendum nunquid *pugnet*, quo minus hoc *Sæculo* vixerit scripseritque *Marcianus*. *Artemidoro* & *Menippo* sua, quæ de Insularum ambitu dedit, se debere agnoscit [1] *Agathemerus*. Nec tamen *Marciani* vel *nomen* apud illum legimus, nec quippiam habet unde constare possit, operamne *Marciani permistam* haberent horum Auctorum Textus, quos ipse usurpavit *Agathemerus*. Non loquitur de *Epitomis Artemidori*, ut loquitur *Stephanus*, quem post *Marcianum* vixisse certum est; ut loquitur etiam [2] Scholiastes *Apollonii*, quem vel hinc *Marciano* recentiorem fuisse vincitur. Media ergo inter *Menippum Marcianumque* ætate vixit *Agathemerus*. Proinde ex illius *ætate* illud saltem colligendum est, quo tempore ne quidem *antiquior* esse potuerit *Marcianus*. Quod vero *Agathemeri* ætatem è *Tropici*, [3] vel potius *Syenes*, ab Æquatore distantia (quasi vero ea fuisset illius *Sæculi*, quo *ipse* vixit *Agathemerus*) colligat *Wendelinus*; speciosior illa, ni fallor, quam fortior, Argumentatio est. *Ptolemæo* enim se accepta illa, quæ habet de *Parallelis*, ipso mox capitis initio, referre agnoscit *Agathemerus*. Scio quidem hodiernos utriusque numeros inter se discrepare. Discrepantiam enim illam *Agathemerus* facit μοιρῶν κγ΄. Ϛ'' δ΄, graduum scilicet 23. 45΄. & quidem [4] duobus in locis. *Ptolemæus* μοιρ. κγ΄. Ϛ'' γ΄, nempe grad. 23. 50΄. etiam ipse [5] *bis*. Sed tam aperta *Agathemeri* professio facit, ut ne dubitare quidem liceat, quin sit alter ex altero corrigendus. Nec sane difficilis erat in *tertio* numero error. Eodem enim redibunt, pro calculo supputandi *Romano*, si δ΄ *quadrantem* designarit; γ΄ autem *tres uncias*, quæ revera *quadrantem assis* conficiebant. Ergo tempus *illius* aliunde explorandum est. *Ptolemæo* juniorem, quem toties sequitur, fuisse manifestum est. Inde [6] *Taprobanen Salicam*, non Insulam *Palæsimundi*, appellat, pro exemplo *Ptolemæi*. Etiam post *Severi* tempora vixisse colligit *Wendelinus* propter verba ejus de *Albione*, [7] ἐν ᾗ στρατόπεδα ἵδρυται, quæ ille de *Severi* vallo tunc *recens* exstructo intelligenda esse censet, ditionis *Romanæ* termino. Atqui si de tali aliquo *vallo* necesse esset, ut verba illa intelligerentur; erant profecto, etiam ante *Severum*, talia *valla* alia, ad quæ poterant non absurde referri, tam *Hadriani*, quam etiam *Antonini Pii*. Sed στρατοπέδων ἱδρυμένων nomine *Legionum castra* intel-

1 *Agath.* L. I. c. 5. 2 Schol. *Apollon.* ad L. III. v. 858. 3 *Agath.* L. I. c. 8. 4 *Agath.* L. I. c. 8. L. II. c. 13. 5 *Ptol.* Geogr. L. I. c. 23. p. 24. L. IV. c. 5. p. 122. 6 *Agath.* L. II. c. 6, 8. 7 *Agath.* L. II. c. 5.

ligit

ligit *ſtativa*, non ad *vallum* certe, ſed in *Urbibus Britanniæ* maxime *opportunis*. Talia tria *Eboraci*, *Ceſtriæ*, & *Iſcæ Damnoniorum*, ſeu *Exoniæ*, numerat ipſe *Ptolemæus*. Itaque non eſt cur, ex hoc ſaltem loco, colligamus eum *multo* juniorem fuiſſe vel ipſo *Ptolemæo*. Tantum abeſt ut *Plethonis* aut *Gazæ* Sæculo admoveri poſſit, ut vir quidam doctus arbitratus eſt. *Maximi* certe, qui *Gratianum* Imperatorem interfecit, Sæculo *juniorem* eſſe non potuiſſe, vel è prædictis colligimus, quæ tum etiamnum erant in *Britannia* noſtra, στρατοπέδοις ἱδρυμένοις. Copias enim *Romanorum* omnes ex hac Inſula detraxit Tyrannus ille *Maximus*. Poſtea, fateor, rogati à *Britannis Romani* miſerunt identidem ſociis *auxilia*. Sic tamen illi, ut re bene geſta mox redierint, nec deinceps caſtra ulla *fixa* hic tenuerint. Anno ergo Æræ noſtræ *Chriſtianæ* 383 (quo *Maximi* opera cecidit *Gratianus*) *antiquior* fuerit oportet *Agathemerus*: imo certe anno ejuſdem Epochæ 330 *antiquior*, quo Urbs *Conſtantinopolitana* dedicata eſt, & novo *Conſtantinopolis* nomine appellata, quam veteri adhuc nomine noſter [1] *Byzantium* appellat. *Græcum* fuiſſe prodit & *lingua*, qua ſcripſit, *Græca*, & *patronus* Operis *Philo* ipſe etiam *Græcus*, & nomen *Græcum Agathemerus*. Etiam *Orientalem* arguit, quod *Gallos* obſervarit, non jam amplius *Galatarum*, ſed [2] *Gallorum*, nomine appellari. Non equidem inepte, pro *loci*, quo vixit ſcripſitque, ſitu, ſi quidem vixerit in *Oriente*, nec longe à *Galatis Aſianis*. *Galatarum* enim nomini magis aſſueverant *Aſiani*, propter finitimos ſibi *Galatas*; non autem incolæ *Occidentalis* Imperii. Erat ergo etiam ipſe inter illos qui ſedem Imperii agnoſcebant *Conſtantinopolim*, ſi quidem *poſtea* vixiſſet quam eo tranſlatum fuiſſet *Imperium*. Cur itaque *veteri*, & quod in *deſuetudinem* abierat, nomine illam appellaret? Memorat porro *Daciam* poſt *Iazygas Metanaſtas* [3] ὁριζομένην τῷ Ἴστρῳ. Ea proculdubio *Tranſdanubiana* erat in *Provinciam* redacta à *Trajano*, ab *Aureliano* autem deſerta & præſidiis nudata. Si quidem ea tum fuiſſet *Romana* Provincia, cum ſcriberet *Agathemerus*, ita vixerit etiam ante *Aurelianum*. Sed nihil habet unde certe colligi poſſit fueritne tum ditionis *Romanæ*. Utcunque tamen ante fundatam *Conſtantinopolim* illum vixiſſe veriſimillimum eſt. Et certe ſpatio aliquo temporis poſt *Ptolemæum*. *Danubium* cenſet *Ptolemæus* uſque ad [4] *Axiopolim Daciæ* finitimam. Non longe fortaſſis ab eo diſcrepavit [5] *Strabo*, qui ad *Cataractas* eum producit quæ per *Dacos* feruntur. *Plinii* locum, qui ab eo loco, quo *Illyricum* alluit *Danubius*, *Iſtri* nomen auſpicatur, mendoſum eſſe ſuſpicor. *Danubii* nomen ad *Vindobonam* tantummodo profert

1 *Agath.* L. II. c. ult. 2 *Agath.* L. II. c. 4. 3 *Agath* L. II. c. 4. 4 *Ptolem.* II. 11. p. 57. III. 8. p. 84. 10. p. 87. 5 *Strab.* L. VII. p. 304, 305.

[1] *Agathemerus*. Ex alio certe Auctore quam *Ptolemæo*, utque videtur, *juniore*: forte *Menippo*. Nec enim oras duntaxat maritimas à *Menippo* descriptas fuisse colligimus è fragmentis *Hœschelianis*. Et quidem junior *Ptolemæo* fuit, ut videmus, *Menippus*; ut *Menippo* junior erat *Agathemerus*. Idem *Agathemerus* saltem antiquior *Constantinopoli*, fortassis *Aureliano*. Proinde junior *Agathemero Marcianus* his temporibus *junior* fuerit oportet. *Quanto* junior fuerit, nondum hoc docet Argumentum. Sed plusquam duorum Sæculi spatium intercesserit oportet inter *Menippum* atque *Marcianum*, si idem is fuerit, de quo agimus, *Marcianus* cum illo, cujus meminit *Synesius*. Itaque quam *sero* vixerit *Marcianus*, aliunde explorandum.

§. 10. *Scholiastes Apollonii* junior *Marciano*, quarto saltem Sæculo *exeunte* antiquior.

Porro ex *Artemidori Epitome* testimonium advocat vetustus ille, quem habemus, atque eruditus *Apollonii Rhodii* Scholiastes, quem vel inde discimus recentiorem illo, qui *Epitomen* illam confecit, nostro (inquam) *Marciano*. Sed vero *Scholiastarum* veterum *ætatem* designare difficillimum est, præsertim *Anonymorum*, eorumque maxime qui *aliorum* Commentarios in unum Corpus digesserunt. Solenne his est ut *verba* aliena repræsentent, quæ sint proinde ad *Auctorum* potius, quos collegerant, *ætates*, quam ad suam, referenda. Solenne item *junioribus*, ut novis incertique temporis Observationibus vetustiorum cogitata *interpolarent*. Solenne denique ut *temporis*, quo vixerint, designationem parum necessariam crederent, atque adeo penitus negligerent. Nec otium est inpræsentiarum de his accurate, ut merentur, disserendi. Sunt autem sane inter *Scholiastas* illi *vetustiores*, qui in *primarios* Græcæ linguæ Scriptores operam suam contulerunt, & qui *Auctoribus exemplisque* sua confirmarunt. Habent quidem *minorum* gentium Auctores, qui in pretio erant, suos sibi *Scholiastas*. Ita *Lucianus*, *Aristides*, *Philostratus*, *Oppianus*, *Nazianzenus*, *Synesius*, *Libanius* &c. Sed parvæ admodum frugis; sed veterum testimoniis plerunque destitutos; sed rerum, de quibus agunt, admodum plerunque imperitos, quique vel illa ipsa *imperitia* suam *novitatem* prodant, quantumque distarint à *Sæculis* ingeniorum feracissimis. Sed & inter *antiquiores* doctioresque *Scholiastas*, ordo quidam observandus est. Omnium *antiquissimi* sunt, proximique ipsis, quos explicandos susceperant, Auctoribus, qui ex ipsis *fontibus* testimonia arcessunt, non autem ex antiquioribus *Scholiastis*; *juniores* illi qui suum nihil contulerunt præter industriam, dum *aliorum* separata volumina in unum corpus contraxerunt. Hoc autem censu habendus est hic *Apollonii*, quem habemus, quantumvis doctus, *Scholiastes*. Collegit ipse è *Lucillo Tarrhæo*, *Sophocle*, & *Theone*, qui tamen etiam

1 *Agath*. L. II. c. 4.

etiam *ipsi* ex *antiquioribus* hauserunt, qui scripserunt in hunc ipsum *Apollonium* ex professo Commentarios. *Tertio* ergo demum gradu distat *ipse* à *primariis* Auctoribus, proinde recentissimis sui ordinis Scriptoribus accensendus. Is *Theon*, si idem fuerit *Alexandrinus*, cujus similes habemus in *Aratum Ptolemæumque* Commentarios; ita collector ipse, *Theone* junior, post *quartum* à *Christo* nato Sæculum, quo scripsit *Theon exeunte*, floruerit. *Quanto* junior illa quoque Epocha fuerit, ne quidem *ita* constabit. Si autem *ipse* nihil *proprium* attulerit, ita necesse erit ut quæ habet omnia *Theone*, eorum, quos collegit, recentissimo *antiquiora* sint. Sic erit *Theoni*, ita tamen ut ante hoc *Theonis* opus scripserit, saltem *coævus Marcianus*. Nec quicquam hactenus *pugnabit*, quo minus idem fuerit cum *Marciano Synesiano*. Sed nec vicissim quicquam *pugnat*, quo minus fuerit hoc ipso *Theone*, & coævo *Theoni Synesio*, multo adhuc *antiquior*.

§. 11. Noster *Marcianus* antiquior, ut videtur, *Marciano Synesii*; eoque qui floruit sub *Valente*.

Superest ergo ut ex ipso demum *Marciano* de *Marciani Sæculo* judicemus. Et quidem *Saxonum* nomen hic legimus. *Insulam Saxonum* p. 52. Et *gentem Saxonum* p. 53. *Cujus gentis nomen in Græcis pariter ac Latinis Historiis ignotum* asserit *ante Dioclesiani tempora* Cl. *Vindingius*. Recte quidem id fortassis si sermo fuisset de *Saxonum prædationibus*, aut traductis aliò *coloniis*, quibus postea inclaruerunt. Hîc autem in *propriis sedibus* erant, cum eorum mentionem faceret *Marcianus*, qui ipse nihil habet quod accipere non potuerit à *Ptolemæo*. Meminit enim etiam [1] *Ptolemæus Insulæ Saxonum*, & *gentis*; & eodem *situ* utramque statuit, quo & noster *Marcianus*. Plane ergo nihil video quod *Marciani* ætatem multo inferiorem arguat ætate *Ptolemæi*. Nihil plane cur junior credatur *tertio* Æræ nostræ *Christianæ* Sæculo. Ita satis accurate invicem consentient omnia, ut & junior *Ptolemæo* fuerit *Menippus*, & *Menippo* junior *Agathemerus*, & junior *Agathemero Marcianus*. Vix potuit à *Roma veteri* duntaxat *Itineraria* describere ipse *Græcus*, & *Romæ novæ* (siqua tunc fuisset) subditus. Vix potuit *Imperii*, quo vixit ipse, *Metropolim* tam alto premere silentio, in Opere *Geographico*, in locis *Constantinopoli* adeo vicinis. *Nomen* ejus fateor, *Romanum* est: sed *Græcum* lingua, qua scripsit, fuisse prodit, & patria *Heraclea Ponti*. *Orientalem* produnt *Epitheta*, quibus ornat *Ptolemæum*, θειοτάτȣ & σοφωτάτȣ *Syro Malelæ* admodum familiaria, non item *Græcis Europæis*. Faciunt hæc omnia ne *Constantinopoli* junior credi possit, cujus mentionem omnem ita devitarit. Hæc si vera, *alius* fuerit *Marcianus* noster à *Marciano Synesiano*, & ab illo etiam *alius* quem ejus loco reponit Cl. *Vindingius* è *Suida*, qui sub *Valente* Principe floruerit; si tamen is ipse alius fuerit à *Synesiano*.

1 *Ptolem.* Geogr. L. II. c. 11. p. 60, 58.

DISSER-

DISSERTATIO OCTAVA.

De Auctore *Anonymo* Peripli *Euxini* Maris.

§. 1. *Scymni Chii Iambos* an noster *confuderit* incertum est.

IN hoc Opere luculentum habemus exemplum *commissorum* inter se *Periplorum*. Nec tamen pro recepto illiusmodi Scriptorum more, ut quo loco *desierat* unus Auctor, inde *incipiant* quæ ex alio Auctore excerpsit Operis universi collector. Hic etiam de locis *iisdem* diversorum, quos excerpsit, Auctorum sententiam *seorsim* refert, quod fecit etiam sæpe *Plinius*. *Scymnum* imprimis excerpsit *Chium*; tum etiam *Arrianum*; & *tertium* denique, qui, post *Arrianum*, *stadia Græcorum* cum *miliaribus* contulerit *Romanorum*, & quidem ipsis plerunque Auctorum, quos excerpsit, *verbis*. *Scymni* certe *Chii verba* tam accurata fide repræsentavit, ut *Iamborum* vestigia etiamnum appareant, ut facile Vir Maximus *Is. Vossius* illos in pristinam formam redegerit. *Verba* enim *Scymni* fere numerat, ne quidem *ordine* verborum admodum mutato. Nescio an *Iamborum* formam in suo, quo est usus, *Scymni* codice *ipse* repererit, aut *Iambice* scripsisse crediderit. Nam in ipso quoque *Scymno* jamdiu versuum *lineas* invicem confudisse Librarios, è Codicibus *Scymni* constat *Hæschelianis*. Nec enim in illis quicquam invenit *Scaliger*, quod *versuum* suspicionem faceret, præter *Scymni* verba se *metro Comico* scribere profitentis, & *metrum* verborum, *sonosque* versibus congruos; ne dicam jam *figuras* à *pedestri* oratione alienas. *Versus* autem, tam in Codice *Palatino* quam *Gallicano*, confuse & permixte exaratos esse ipse agnovit *Hæschelius*. Itaque jam aliquantisper *versibus* confundendis assueverant *Librarii*, præsertim *juniores*, in Operis forma *versibus*, ut credebant, parum *congrui*. Eoque magis est cur hoc de nostro verum fuisse suspicemur, si fuerit adeo, quam volebat Cl. *Vossius*, nuperus. *Veteribus* enim frequentiores erant etiam in re *Geographica versus*, quam ut hoc fallere potuerit *veteres* etiam *Librarios*. Erat enim apud *Græcos* celeberrimus hoc nomine *Dionysius*, apud *Latinos* *Germanicus*

Germanicus & *Festus Avienus*. Itaque num in nostrum hæc suspicio conveniat, à *tempore* potissimum, quo vixit, judicandum est.

§. 2. *Arriano*, quem in multis sequitur noster, proinde junior *Anonymus*.

Etiam *Arrianum* à nostro expilatum esse censuit idem Cl. *Vossius*. Imo *nihil esse quod non ex eorum altero desumserit*, vel *Scymno* scilicet, vel *Arriano*. Non tamen satis, quod volebat, etiam probavit. *Stadia* quidem in suo Maris *Euxini* Periplo dedit *Arrianus*: non item *Romana miliaria*. Hæc ergo saltem noster aliunde. Ita certe nisi Ῥωμαϊκὰ γράμματα viderit noster quorum ipse meminit [1] *Arrianus*. Illa enim *Romanorum* moribus accommodanda, proinde *miliaribus* potius, quam *stadiis*, designanda erant. Ita ex *utroque* Scripto tam *stadia* discere potuit, quam *miliaria*. Sed incertum est num illa emanarint in *publicum* quæ *Principis* causa, & pro *Romanorum* more *patrio*, lingua proinde etiam *Romana* erant concipienda. Utque emanassent, *Græcus* tamen erat *nostri Peripli* Auctor. Nec solent *Græci*, etiam de rebus *Romanis*, alios, quam *suæ* linguæ Scriptores, advocare. Ut porro major fuisset nostri, quam civium ejus solebat esse, diligentia; non tamen efficiet illa ut *miliaria Romana omnia* accipere potuerit ab *Arriano*. Nec enim de aliis, quam *Provinciæ* suæ, *Arriani* scripta, vel *Romana*, meminisse verisimile est. Alibi *Romanarum literarum* à se scriptarum ne quidem *ipse* meminit *Arrianus*: nec de aliis quam *Provinciæ* suæ negotiis *Præfecturæ* munus exigebat, ut *Principem* certiorem faceret. *Parte* ergo Peripli sui longe *maxima*, quæ erat extra *Pontum Cappadocium*, aliunde *miliaria* hauserit oportet, quam ex *Arriano*. Ne quidem illud certum esse hactenus evictum est, an ea quoque ipsa, quæ habet cum *Arriano* communia, ipsi tamen debuerit *Arriano*. Quæ enim erant extra *Provinciam Arriani*; quæ ne quidem *iter* attigerint, quo in Provinciam ipse *pervenerit*; quæ ne quidem *iter* illud, quo *Hadriano* ipsi iter erat in *Bosporum*, quæ ex *indicibus* proculdubio didicit certissimis: hæc aliunde *Arrianum* ipsum, quam è decessorum *Scriptis*, didicisse verisimile non est. Et quidem ad partem Maris *Euxini* reliquam spectant potissimum quæ hic communia legimus cum *Arriano*. Hæc ergo nostrum *Arriano* debuisse necesse non est, cum ex *Arriani Auctoribus* eadem haurire potuerit, quod ipse fecit *Arrianus*. Habet præterea noster multa quoque loca, quæ frustra quis quæsierit in *Arriano*. Hæc ergo quomodo potuit accipere ab *Arriano*, quæ ne quidem ipse complexus fuerat *Arrianus*?

1 *Arrian*. Peripl. Mar. *Euxin*. p. 6, 10.

§. 3. Periplus *Euxini* Maris ab *Arriano* scriptus non est (ut Cl. *Vossio* videbatur) *mutilus*.

Neutiquam sane si talis olim fuerit *Periplus Arriani*, qualem nunc habemus. Censuit autem Vir præstantissimus hodiernum, quem habemus, *Periplum Epitomen* esse tantummodo, minimamque partem eorum complecti, quæ ipse scripserit *Arrianus*. Hoc inde colligit, quod ex *Arriano* multa suo ad *Dionysium* Commentario profert *Eustathius*, quæ tamen nullo legimus illius *Periplo*. Sed vero *Periplum Arriani* nullum ibi, quod meminerim, saltem de *nomine*, appellat *Eustathius*. Quæ autem habet omnia, ea istiusmodi sunt, ut in *nullo* fortasse *Periplo*, sed in *Historiis* (quas *multas* illum scripsisse supra probavimus) ea scribere potuerit *Arrianus*. Hucusque ergo nihil est, quo vel *Arriano* ipso *junior* noster fuisse vincatur. Vincunt autem certe nostri Auctoris illa de *Halmydesso* verba: [1] Τοῦτο τὸ χωρίον μνήμην ποιεῖ Ξενοφῶν ὁ πρεσβύτερος. Hæc enim *Auctorum*, quorum fidem secutus est *Arrianus*, verba non sunt, sed ipsius potius *Arriani*, in propria etiam *Persona* loquentis, quem *Xenophontem Socraticum* propterea *seniorem* vocasse probavimus, quod *junioris Xenophontis* ipse nomen affectarit. Hinc ergo certum est *Arriano* juniorem fuisse nostrum Anonymum, & proinde verisimilius erit, quæ habet ipse cum *Arriano* communia, ea illum ab *Arriano* potius sumsisse, quam ab *Auctoribus Arriani*.

§. 4. *Romana*, quæ adhibet noster, *miliaria* à *veterum Romanorum miliarium* forma plane *aliena*.

Alteri autem, & recentiori, quam fuerit vel *Arrianus*, Auctori debuit noster quæ habet omnia de *Romanis* sui temporis *miliaribus*, quæ cum *stadiis septenis* componit & *dimidio*. *Major* enim *miliaris* modus receptus est apud *Veteres*, & florente Republica, *stadiorum octonorum*. Hic enim certe modus respondebat examussim proportioni antiquissimæ pedis *Græci* atque *Romani*: qua scilicet pedes *Græci* DC *stadium* conficiebant, iidemque pedibus *Romanis* DCXXV pares erant, passibusque CXXV. Sic enim futurum erat ut *stadia* istiusmodi *octona passus* implerent *Romanos mille*. Et quidem modum hunc Auctorum esse accuratissimorum, & sibi invicem maxime consentientium, docet, adversus *Lipsium*, Vir Geographiæ veteris peritissimus [2] *Philippus Cluverius*. Facit autem ne de eo dubitare liceat *Strabo*, qui hunc modum observatum esse testatur in via *Egnatia*, lapidibusque illius viæ miliaribus ab *Apollonia* ad *Macedoniam*. Erat enim via illa [3] βεβηματισμένη κατὰ μίλιον, ut docet ibidem *Strabo*. Βηματισμὸς ille pedum designatio erat, teste *Hesychio*. Quis autem dubitet *stadii Græci* mensuram fuisse accuratissimam in ipsa *Græcia*, & *Romani* etiam *miliaris* in via *militari*

1 Peripl. Anonym. Mar. *Euxin*. p. 15. 2 *Cluver*. Germ. Antiq. Procem. L. I. 3 *Strab*. L. VII. p. 322.

Romana?

Romana? Alium dedit modum *Polybius*, & majorem, monente ibidem *Strabone*. Sed ante *Caji Gracchi* Tribunatum, qui anno demum *Varroniano* DCXXXI° primus vias *publicas* per *Italiam* lapidibus designavit, ut in ejus vita tradit *Plutarchus*. Aliquot nimirum annis postquam Historiæ suæ manum ultimam imposuerat *Polybius*. Cæterum ab illis usque *Caji Gracchi* temporibus nullus dubitandi locus est, quin idem fuerit ubique *miliaris Romani* modus in viis publicis militaribus, nec alius proinde ab eo quem in *Egnatia* via descripsit *Strabo*. Imo modum illum *Polybianum* non alium fuisse revera ab hoc omnium *receptissimo* mox ostendemus. Idem præterea colligitur ex *Itinerariorum Latinorum miliaribus*, si conferantur cum *Græcorum stadiasmis* in iisdem locorum intervallis. *Veteris* ergo *Romæ* non alium fuisse *miliaris* modum est sane verisimillimum. Nec alium agnoscunt ab illo usque *Gracchi* Sæculo Scriptores *Romani* etiam juniores. Certe *Columella*, *Plinius*, & *Gellius*, pro *hoc* miliaris modo, *stadium* CXXV *passuum* faciunt.

§. 5. *Miliaria illa è Græcorum juniorum ratiociniis nata. Et quo demum progressu.*

Græcis, fateor, alius placuit *miliaris Romani* modus, idem cum eo quem sequitur nostri Auctor *Peripli*, *septenorum* cum *dimidio stadiorum*. Ita *Suidas*, qui *receptum* quoque *miliaris* modum suis miscet collectaneis. Ex illo ergo ne quidem id colligere licet, quæ fuerit vel *Sæculo suo*, vel *Auctoris*, quem excerpsit, receptissima sententia. Sed *unicum* illum *minoris miliaris* modum agnoscit *Photius*, quasi nullus alius fuisset, ubi vixit *Photius* in *oriente* exploratus. Sic enim habent illius verba, non tamen (quod sciam) in *Bibliotheca*, ut volebat [1] *Cluverius*, sed in *Lexico* MS°: Στάδιον ὁ τόπος τοῦ ἀγῶνος, καὶ μέρος τι τοῦ μιλίου λεγόμενον. Ἑπτὰ γὰρ ἥμισυ στάδια ποιοῦσι μίλιον. Itaque *ante* ætatem *Photii* obsolevisse verisimile est *antiquioris miliaris* usum, siquis tamen unquam fuerit in *Oriente*. Nam, ut è *nostro* constat Peripli Auctore, non solum *Constantinopoli*, sed in locis *Constantinopoli vicinis* (quæ tamen *Romanis* olim non paruerint) hic idem obtinuit *miliaris Romani* modus. Ego rem totam (si quidem *conjecturæ* venia sit) ita habuisse suspicor. Primus antiquissimusque miliaris modus is erat, quem dixi. Ut scilicet *stadium* pedes *Græcos* complecteretur DC, *Latinos* DCXXV. Hi *pedes octies* multiplicati facient in *miliari* pedes *Græcos* 4800, *Latinos* 5000. Detracti è *pedibus Romanis pedes Græci* reliquos facient *pedes* 200, qui *Græcis tertiam* stadii *partem* explebant accuratissime. Inde factum, ut præter *octonos stadios*, *tertiam præterea* stadii *partem miliari Romano* tribuerint *Polybius* & *Eratosthenes* Sic enim de *Polybio* testatur [1] *Strabo*, de *Eratosthene* autem *Julianus* Archi-

1 *Cluver.* Germ. Antiq. L. I. Procem. 2 *Strab.* L. VII. p. 322.

tectus apud *Harmenopolum*. Nam post Bellum cum *Pyrrho* pacem inibant cum *Ptolemæo Philadelpho Romani*. Inde evenit ut *Eratostheni* aliquatenus innotuerit *miliare Romanum*. Non tamen propterea *diversus* erat modus *miliaris Romani* etiam *antiquioribus* illis *Eratosthenis* temporibus & *Polybii*. *Octonos* enim in *miliari Romano stadios* supponit utraque illa supputatio, è cujus discrepantia nati *pedes* illi 200, quos pro *tertia* stadii *parte* habebant *Eratosthenes* atque *Polybius*. Propterea scilicet redundare pedes illos in *Romano miliari* censebant, quod is *pedum* numerus redundarit in *octo stadiis*, si pro modo *pedis Romani* metirentur. Nec interim cogitabant *minorem* fuisse *pedis* mensuram, qua factum ut *major* pedum numerus apud *Romanos* idem conficeret, quod *minor* conficiebat apud *Græcos*; nec *minoris formæ* pedes *Romanos* 200 tantundem valere quod 200 *pedes Græcos*, qui stadii *Græci tertiam* partem revera conficiebant. Contra vidit *Plutarchus* hosce *ducentos pedes*, si pro calculo *Græco* (qui *major* erat) supputentur, *deficere* potius, quam *redundare* apud *Romanos*: quod scilicet pedes *Romani* 4800 *pedes Græcos* 4800 non *æquarent*, nisi alii præterea pedes 200 *adderentur*; pro modo scilicet *Romano*. Proinde *octo stadiis* minorem censuit modum *miliaris Romani*. Ipse, licet in alterum extremum *errarit* quam *Polybius*, pari tamen *erroris* usus est *occasione*, quod nec ipse *pedum Græcorum Romanorumque* discrimen observarit. *Pedes* enim *Romanos* numeravit *Græco* tamen pedum *numero*, ut in *miliari integro* à justa *stadiorum octo* mensura deficerent. Inde autem *juniorum* errorem natum crediderim, *minorem* miliaris *Romani* quam *octo stadiorum* mensuram statuentium. His nempe, ut opinor, gradibus. Qui primi observabant *pedes Romanos* 4800 à justo *pedum Græcorum* 4800 modo, qui *mille passus* explebant, deficere; illos necesse erat, ut plusquam *tertia* stadii *parte contractiora miliaria* fecerint, quam fecerint decessores *Græci*, qui partem *tertiam stadii* ultra *stadios octonos* ad *miliaria Romana* explenda necessariam fecissent. Erat enim & *pars* illa *stadii* detruncanda, & *pars* illa præterea quæ *deerat* ad *stadia octona* absolvenda. *Defectum* illum si *parem* ipsi cum decessorum *excessu* statuissent, sic *partibus* stadii *tertiis duabus breviora* fecissent *miliaria*. Sed nihil erat necesse ut ita facerent. Nec enim *pedes Romani* 200 ad *tertiam* stadii *partem* assurgebant. Erant enim pares *Græcis pedibus* tantummodo 180. *Duplicentur* ergo. *Pedes*, conficient duntaxat 360. Sed in *miliari Romano* non alios *pedes* censeri oportere manifestum erat, quam *Romanos*. Pars autem *dimidia stadii Romani pedes* complectebatur *Romanos* 312 $\frac{1}{2}$. Supererunt *pedes* 47 $\frac{1}{2}$, qui certe *negligendi* erant pro more, quem sequitur noster,

supputandi

ſupputandi per partes *aſſis Romani*. Pars enim *aſſis* minima, *uncia*, ſeu XII^a, ſi vel *Græco* exemplo cenſeatur, *pedes* explet 50; ſi *Romano*, *pedes* 52 & *duodecimam* præterea pedis *partem*. Sic *ſtadii* parte *dimidia breviora* fecerint *miliaria*, quam feciſſent *Veteres*, qui *ſtadia* 8 $\frac{1}{3}$ pro modo habuerant *Romani miliaris*. Cum autem paulatim hic *veterum error* è memoria hominum intercidiſſet, modus autem *Romanorum* exploratiſſimus is eſſet ut *ſtadia integra octona* ſingulis *miliaribus* aſſignarentur; proclive erat ut emendationem illam *miliari Romano* ſuis *temporibus* recepto accommodarent *juniores Græci*, & proinde *ſtadia* illa octona *dimidio ſtadio* mutilarent. Hoc ego ad *Græcos* retulerim *Conſtantinopolitanos*. *Græcam* enim hujus erroris originem produnt hujus *miliaris* Auctores, non alii, ut opinor, quam *Græci* omnes. Produnt ipſi *errores* non aliunde nati quam è *Græcorum* veterum *ratiociniis* de rebus *Romanis*, & proinde ſibi parum *exploratis*. Alioqui fateor, ne quidem *Græcis* penitus ignota fuiſſe *Romanorum miliaria*, poſtquam etiam ipſi in *Romanorum* ditionem conceſſiſſent. Hoc ex ipſo diſcimus Evangelio S. *Matth*. V. 41. Nam & in publicis Imperii *Rationariis*, & in publicis metatorum *Itinerariis*, jam aſſueverant *Romanorum miliaribus* etiam *Provinciæ*: ſed proculdubio veris *octonorumque ſtadiorum*. Novus autem ille falſuſque *miliaris* modus vix potuit ab aliis eſſe præterquam à *Græcis*; & à *Græcis*, ut puto, *Conſtantinopolitanæ* ditionis.

§. 6. Et quidem, ut videtur, *Conſtantinopolitanorum*. Sed paulo ante *nomen* ipſum *Conſtantinopolis*.

Novæ enim *Romæ* nomen ſibi vendicabat *Conſtantinopolis*. Urbiſque *Romanæ* etiam *jura* omnia: *Imperatorem* proprium, proprium ſibi *Conſulem*, proprium *Senatum*, proprium ſibi pariter (pro *Romæ* exemplo) *Urbis Præfectum*. Inde *Romanos ſe*, Urbiſque Præfecturam *Romaniam* appellabant. *Occidentalis Romæ* incolas ne quidem *Romanorum*, ſed *Latinorum* duntaxat nomine dignabantur. Proinde & *mores* etiam *Romanos* affectabant, quo magis *Romani* viderentur. In his etiam hunc, de quo agimus, *miliarium*: verum ita plane ut decuit *Græcæ* ſtirpis Civitatem. *Linguam* enim retinebant etiamnum Urbis *Byzantinæ*, & cum *lingua*, gentis ſuæ etiam *errores*. Sed formam *miliaris* publicam *mutare* antea non poterant quam *Imperii* poteſtate potirentur. Nec in eam, quam hic obſervatam legimus, mutaturi erant Principes, qui in *Roma veteri* Imperii ſedem poſſidebant. Nempe *Romanarum* conſuetudinum peritiores quam ut à primæva *Romani miliaris* forma tantopere *aberrarent*. Itaque poſt tempora *Conſtantini* neceſſe eſt noſtrum hunc vixiſſe Scriptorem, ſi quidem noſtra illa procedant ratiocinia: niſi forte hanc eandem *miliaris* formam in *Orientem* introduxerint,

non *Constantinopolitani*, sed *Nicomedienses*, cum *Imperii* etiam *Augustei*, & quidem *primarii*, sedem in *Nicomedia* poneret *Diocletianus*. Sic potuit noster tum scripsisse dum *Byzantii* nomen adhuc retineret, quæ postea *Constantinopolis* appellata est. Et sane *Byzantii* appellationem adhibet etiam ipse, nulla mutatæ vel levissima significatione. Quod sane esset cur in Urbe tam *insigni* merito miraremur, si post *Imperii* sedem eo translatam ipse vixisset. Ea potissimum de causa, quod in aliis Urbibus obscurioribus, *sui* tamen *Sæculi*, pariter ac *antiqua*, nomina sedulo observarit. Cur itaque hoc idem non observaret in Urbe omnium *præcipua*? Est ergo hæc Auctoris nostri ætas potius fortassis anteferenda. Vel forte potius illius, cujus fidem est secutus, ut mox ostendemus.

§. 7. Proinde hujus Peripli Auctor esse non potuit *Alypius*, cujus meminit *Julianus* Apostata.

Pugnabit autem illa, quo minus verum esse possit, quod sum aliquando suspicatus, ut nostri Operis Auctor fuerit *Alypius Cæsarii* frater, de quo ita *Julianus* Apostata Epist. XXX. Ηδη μὲν ἐτύγχανον ἀνειμένος τῆς νόσου, τὴν Γεωγραφίαν ὅτε ἀπέστειλας. Οὐ μὴν ἔλαττον διὰ τοῦτο ἡδέως ἐδεξάμην τὸ παρὰ σοῦ πινάκιον ἀποσταλέν. Εχει γὰρ καὶ τὰ διαγράμματα τῶν πρόσθεν βέλτιον, καὶ κατεμούσωσας αὐτὸ, προσθεὶς τοὺς Ιάμβους, οὐ μάχην ἀείδοντας τὴν Βουπάλειον, κατὰ τὸν Κυρηναῖον ποιητήν· ἀλλ᾽ οἵους ἡ καλὴ Σαπφὼ βούλεται τοῖς ὕμνοις ἁρμόττειν. Quod equidem Opere quasi *Musivo* variegatum fuerit hoc *Alypii* Opus *Geographicum*, alternis, oratione *soluta* & *Iambis* tessellatum, in eo sane similis erat nostræ illa etiam *Alypii* Geographia. Sed ab *ipso* fuisse videntur *Alypio Iambi* illi, quorum nomine *Alypium* tantis ornat præconiis infelix Imperator. Nihil enim ad *Alypii* laudes fecissent *Iambi alieni*. Et πινάκιον complectebatur *Alypii* Geographia, *tabellam* nempe *Geographicam* cum *Diagrammatibus*, quæ *Technicæ* potius *Geographiæ* erant, quam *Historicæ*; & in *Tabulis* præcipue locum, ut videtur, habebant. Noster totus *Historicus* est, nec quicquam habet quo Geographiæ *artificium* excoleretur. Non obstat ergo quo minus *hæc* vera fuerit Auctoris ætas.

§. 8. Locorum *eorundem* nomina diversis *linguis* poterant sibi invicem fuisse *coæva*.

Sed non esse admodum *antiquum* nostrum illud credidit Cl. *Vossius* evincere, quod *antiquis nominibus recentiores subdiderit appellationes*. Sed nullo *testimonio* confirmavit hac (quam dedimus) ætate *appellationem* aliquam Auctori *coævam* fuisse *recentiorem*. Nonnullæ certe poterant admodum fuisse *antiquæ*, ipsisque receptissimis apud *Græcos* nominibus coævæ. [1] *Theodosium* ait *Taurica* dialecto vel *Alanica*, Αρδαύδα appellatum, quod idem valet ac si *Græce* diceretur Επτάθεος. *Anti-*

[1] Peripl. Mar. *Euxin.* p. 5.

quum

quum illud fuiſſe nomen, etiam *Alanicum*, exinde conſtat quod à *Gentilium* Deorum *ſeptenario* aliquo, forte *Planetarum*, emanarit. Inde etiam quod in confinio illam *Boſporianorum Taurorumque* ſitam fuiſſe teſtetur [1] *Strabo*. Recte ergo *Taurica* dialecto nomen illi fuerit aſſignandum, etiam à prima Urbis *origine*, quo *vicinis* innotuerit. Et aliud à *Græco*, ut erat vicinorum *lingua* etiam *alia*. Sic enim hodieque reperimus in Provinciis multarum linguarum etiam locorum eorundem multa eſſe *nomina*. Ita in *Flandria* nomina *Belgica* ſunt atque *Gallica*. Et in *Wallia*, nomina pariter *Anglica* & *Britannica*, quorum unum alteri non ſuccedit, ſed ſimul ambo apud ſuæ linguæ participes uſurpantur. Sic etiam Urbem, quam cives ipſi *Olbiam*, finitimi [2] *Boryſthenem* appellarunt, etiam à temporibus [3] *Herodoti*. Eadem, ni fallor, cauſa eſt *Boryſthenis* fluvii, quem noſter *Danaprin* ſuo tempore appellatum eſſe ſcribit, *Jornandes Danubium* vocatum eſſe teſtatur, in qua voce *Danapris* veſtigia agnoſcit ipſe *Voſſius*. Itaque jam diu ante *Jornandem* innotuerat nomine illo *Boryſthenes*: nec quicquam habet quo, ſuo etiam tempore, nomen illud *novum* fuiſſe innuat. Idem addit *Jornandes*, à quibus *Boryſthenes* ita fuerit appellatus. Nempe ab *accolis*. Proinde etiamnum apud *Peregrinos Boryſthenis* nomen notius fuiſſe, ni fallor, indicat. Ita eodem tempore *fluvius*, qui *Græcis Boryſthenes*, idem *Danapris* apud *accolas* audiebat. Erat enim ſane *Græcum* nomen *Boryſthenes*, ut è vocis *fine* manifeſtum eſt. Proinde ipſa Urbs *Olbia*, eadem à *Græcis Boryſthenes* vocata, teſtibus hoc ipſo noſtri Peripli [4] Auctore & [5] *Herodoto*. Quomodo ita ni vox fuiſſet *Græca Boryſthenes*? Hoc ſi verum, potuit nomen *Danapris* lingua *accolarum* decantato apud *Græcos* nomini vel *coævum* fuiſſe, vel etiam fortaſſis *antiquius*. Nec enim eſt quod dubitemus quin *nomen* fluvius *antea* habuerit apud *accolas*, quam *Græcis* ipſis innoteſceret. Sunt porro apud noſtrum varia locorum *eorundem* nomina, quæ *antiqua* omnia fuiſſe *veteres* agnoſcunt. Ita *portus* idem *Athenæon* & *Scythotaurorum*: ita *Tauricum* vel *Symbulon*: ita Urbs *Cydæa* & *Cytæ*: ita *Caræ* & *Careæ*: ita & in vetuſtiſſimis nominibus *Dionyſopolis*, quæ noſter hic recenſuit, pro more ſuo, accurate.

Sed de portu Δάφνης τῆς μαινομένης, addit noſter, τῆς νῦν λεγομένου Σωσθένην. Hoc exemplis illis accenſet Cl. *Voſſius*, è quibus collegit noſtrum non *admodum* fuiſſe *antiquum*. Sed quo demum *tempore* nomen portus ille novum *Soſthenis* acceperit, de hoc nihil obſervavit Vir celeberrimus.

§. 9. *Daphne Soſthenii* ad diſcrimen *Daphnes Antiochenæ*: antiquior ipſa *Daphne Sergii* ſuburbio *Conſtantinopolis*.

1 *Strab*. L. VII. p. 309. 2 *Steph*. Βορυσθένης. 3 *Herodot*. L IV. c. 17. 4 Anonym. Peripl. Mar. Euxin. p. 8. 5 *Herodot*. L. IV. c. 17.

berrimus. Sed μαινομένης Δάφνης nomine *portum* illum simpliciter designavit *Arrianus*, quasi aliud nullum, quo tum appellaretur, haberet exploratum. Vel inde mihi suspecta est emendatio Cl. [1] *Harduini*, qua *Plinio* ipsi *Sosthenis* hujus mentionem inseruit, *Plinio*, ut opinor, incogniti. *A Bosporo* (inquit [2] *Plinius*) *sinus Casthenes*. Vet. Cod. *Leosthenes*. Reponit *Harduinus Sosthenes*. Sed cujus nomen ignoravit *Arrianus*, non est quod credamus *Plinio* fuisse exploratum. Utcunque tamen alienus est hic *Plinii* locus à *portu Sosthenis*. De *sinu* loquitur *Plinius*; noster de *portu*. Et in *Asiæ* ora ponit noster *portum*, quem *Sostheni* tribuit. *Plinius Casthenem* suum in ora *Europæa*. Utcunque tamen *Sosthenii* etiam hujus meminit *Nicephorus* Patriarcha ad ann. Ær. *Christ*. DCCXVII. Inde Σωσθένειον in nostro etiam reponendum, uti etiam ex *Leontio* [3] Scholastico. Itaque ante annum illum 717 jam ita receptum est recentius illud *Sosthenii* nomen, ut antiquius Δάφνης μαινομένης in desuetudinem abierit. Adhuc aliquanto erat, ni fallor, *antiquius*. Nam præter hunc *Daphnes portum*, qui ad *dextram* erat navigantibus in *Euxinum*, & propterea in ora *Asiana*; erat & alia ad *sinistram Daphne suburbium* in ora *Europæa*, ὃ λέγεται Σέργιον, inquit [4] *Stephanus*. Facile intelligimus quam necessarium fuerit ambas illas *Daphnas* in ejusdem *Bospori Thracii* oris ambabus sitas invicem distinguere. Quod factum arbitramur duobus hisce cognominibus *virorum*, ut videtur, excultorum, *Sergii* & *Sosthenii*. Erat autem nostra quæ *Sosthenii* nomen accepit, multo, quam altera fuerit, *antiquior*. Nostra temporum etiam *Mythicorum*. Alterius mentio nulla, quod sciam, apud *Veteres*. Imo ne quidem esse potuit *suburbii*. Urbis nimirum vel *Byzantinæ*, vel *Constantinopolitanæ*. Potius, existimo, *Constantinopolitanæ*. *Sergii* opus illud fuisse Opus indicat, ut puto, nomen Σέργιον. Tantundem enim valet ac ἔργον Σέργιον (nisi forte potius scribendum Σεργίειον) ut *Sosthenis* etiam opus appellabatur Σωσθένειον. *Delicias* autem & *amœnitates* præcipue quærebant *Veteres* in *Suburbanis* laxius habitatis, & proinde loca *secessibus* idonea facilius suppeditantibus, *lucis* nimirum, *porticibus*, *piscinis*, *gymnasiis*, atque *ambulacris*. Hoc ipso *voluptatis* nomine nescio quicquamne fuerit *celebrius* (dicam an *infamius*?) *Daphne Antiochena*, cujus exemplo *Sergium* existimo hoc suum *suburbanum* condidisse, & propterea *Daphnen* appellasse. Hominem nimirum, ut ex ipso constat nomine, *Romanum*. Proinde *Constantinopolis* civem, quæ hoc ipso *novæ Romæ* nomine gloriabatur. Non autem *Byzantii*, cum Urbs illa à *Severo* excisa *Perintho* deinceps (quæ eadem *Heraclea* erat) subjiceretur, ut ægre admodum deinceps vel *Civitatis*

1 *Harduin*. Adn. ad *Plin*. Tom. I. p. 811. 2 *Plin*. N. H. IV. 11. 3 Antholog. *Græc*. L. IV. c. 25. 4 *Steph*. Δάφνη. Et ex eo *Eustath*. ad *Dionys*. vers. 816.

illustris,

illustris, nedum *Romanæ*, dignitatem tueretur. Itaque si ad hujus *Daphnes* discrimen, alia illa *Daphne Asiana Sosthenii* nomen acceperit; ita recentius fuerit Urbe *Constantinopolitana* nomen quoque *Sosthenii*, quod non ferunt nostræ rationes. Fieri tamen potest ut ad *Antiochenæ Daphnes* discrimen *portus* ille *Sosthenii* nomen acceperit. Sic omnia respondebunt satis accurate. Erat enim *Sosthenis* illa *Daphne* multo antiquior *Antiochena*, ut recentioribus suis temporibus nomen *Sosthenii* accipere potuerit, cum jam celebris esset *Daphne* etiam *Antiochena*, ut ab ea internosceretur. Et vicissim illa *Antiochena Daphne* antiquior suburbio *Constantinopolitano*: imo ipso *Diocletiani* Imperio, cui *propinquum* Nos fecimus hujus Peripli Auctorem. Hoc certum est ipsum quoque illum *Sergium* suburbani *Constantinopolitani* Auctorem *antiquiorem* fuisse *Sergio* illo, cujus meminit, *Justiniani* M. Imperio exeunte, [1] *Agathias*. *Sergii* enim, qui *suburbanum* condidit, meminit ipse *Stephanus*, cujus Epitomator ipse *Hermolaus* floruit sub *Justiniano*.

§. 10. *Aulai teichi* novum nomen *Thera* post *Arrianum*, sed ante tabulas *Peutingerianas*. *Apollonia* nomen ad *Marcianum Heracleotam*. Eadem *Sozopolis* tempore forte *Constantini*.

Αὐλαίου τεῖχος τὸ λεγόμενον Θήρας χωρίον. Ita noster. Et quidem Αὐλαίου τείχους in suo quoque Maris *Euxini* Periplo meminit etiam *Arrianus*: eousque, ut videtur, *veteri* adhuc nomine designari soliti. Et *Theras* mentionem in Tabulis *Peutingerianis* occurrere recte observavit Maximus *Vossius*. Medio ergo tempore inter *Arrianum* Auctoremque Tabularum *Peutingerianarum* nova illa obtinuit appellatio, quæ potuit adeo satis fuisse *antiqua*. Superest tandem *Apollonia*, cujus coævum sibi nomen *Sozopolin* memorat Anonymus. Sub *Apolloniæ* nomine de hac Urbe loquuntur *Scylax*, *Strabo*, *Mela*, *Plinius*, *Arrianus*, *Marcianus* etiam *Heracleota*: imo ipse quoque *Stephanus*, quo loco numerat cognomines *Apollonias*. Nec tamen inde constat, an illo quoque *Stephani* Sæculo nomen illa mutarit *Apollonia*. Auctorem enim, tum alibi sæpissime, tum hoc præsertim in loco, excerpsit *Stephanus*, qui ex professo in unum collegerat corpus *Urbes* sibi invicem *cognomines*: utilissimo sane consilio, ut vitarentur errores in Historia frequentissimi pariter ac facillimi, cum propter nominis similitudinem ipsæ confunduntur: eodemque consilio quo etiam illi usi sunt, qui *viros* pariter *cognomines* recensebant, quos excerpsit *Laërtius*. Satis enim erat, quocunque demum Sæculo vixisset Auctor, si vel *olim* nomen *Urbs* habuisset de quo agebat, ut reliquis ejusdem nominis *Urbibus* accenseretur. Utcunque tamen, post tempora saltem *Marciani*, nomen vetus Urbs illa, de qua agimus, retinuit *Apolloniæ*. *Sexopolin*

1 *Agath.* L. IV. p. 141.

illam

illam esse Geographo *Nubiensi*, uti etiam nostro Sæculo, observavit ipse *Vossius*. Est autem forma illa *vocis* quidem *Græca*, pro Barbarorum autem juniorum pronunciatione in *Barbaricam* degenerantis. Cum nempe *lingua* etiam *Græca*, propter *Barbarorum* incursiones, in illis quoque partibus jam non esset amplius vernacula. Itaque cum scriberet etiam *Nubiensis*, jam *Græci* nominis usum corruperant vicini, *Græcæque* linguæ imperiti, *Barbari*: *Græcis* nimirum *pulsis*, vel in *Barbarorum* mores diutina consuetudine deficientibus. Atqui *Græcorum* erat nomen illius Urbis etiam posterius *Sozopolis*, etiamnum sua *lingua* suisque moribus utentium. Itaque ut *Marciano Heracleota* recentius, sic multo tamen antiquius Geographo *Nubiensi*. Illius nominis Urbem legimus in *Pamphylia* [1] temporibus etiam Imperii *Græco-Romani* recentissimis. Si *conjecturis* ex *Historia* petitis augurari liceat, vix crediderim diu post *Marcianum* sui juris in illa *Euxini* Maris ora fuisse *Græcos*. Nam à temporibus *Claudii* (qui successit *Gallieno*) *secundi*, molesti erant in omni illa ora *Scythæ*, aliique *Barbari*. Ita quidem ut vel *Romani* Imperii fines ægre admodum tuerentur Principes illius Sæculi bellicosissimi. Multa gessit in *illos*, atque admodum præclara, ipse *Claudius*. Et tamen *Daciam*, quæ illis obnoxia erat, *Transdanubianam*, quasi quæ defendi non possit, dimisit *Aurelianus*, *Princeps Invictissimus & Victoriosissimus*. [2] Sic enim illum, nec immerito, appellant cippi. Inde factum ut *Illyricum* Provinciam fecerit *Diocletianus Cæsaream*, & quidem *Cæsaris* bellicosissimi, cui fuerit *ad ripam Danubii cum gentibus barbaris luctandum*. [3] Sic enim loquitur *Lactantius*. Sed & [4] *Constantinum* ipsum exercuerint his iisdem partibus *Sauromatæ* & *Gothi*. Qui non illos modo, verumetiam [5] *Scythas* ipsos volentes in suam ditionem recepit. Tum ergo liberum erat *Græcis*, in suas sedes restitutis, *Apolloniam* alio deinceps, sed *Græco* etiam & ipso, *Sozopolis* nomine designare. *Omine* certe auspicatissimo, ut *Servatori* potius quam *Apollini* beneficium illud referrent acceptum. Et sane *novi*, quasi è postliminio, *initii* novum illud fuisse videtur *Græcorum*, in eadem civitate, nomen. Tum etiam commodissime *Romanorum miliarium* modum (qualis in hoc Opere supponitur) in his etiam *Scytharum* & Ponti *Euxini* oris statuerimus, cum hujus oræ incolæ universi Imperium agnoscerent *Romanum*. Nec sane tempus magis congruum, ut puto, reperiemus. Nondum enim *nomen* forte mutaverat *Byzantium*. Hanc *Constantini* victoriam ad annum *Imperii* XXII^m retulit *Theophanes*,

1 *Nicet. Choniat.* Joann. Comnen. p. 10. Et in Alex. p. 169. 2 *Gruter.* CCLXXVI. 4. 3 *Lactant.* de Mort. Persecutor. c. 18. 4 *Euseb.* L. IV. Vit. Constantin. c. 5, 6. *Socrat.* L. I. c. 14. *Theodoret.* L. I. Eccl. Hist. c. 8. 5 *Euseb.* L. I. Vit. Constantin. c. 4. & alii.

&

& ex eo *Cedrenus*: forte ex ipsis *Eusebii Græcis*. Ad ann. *Constantini* XXV victoriam eandem refert *Latinus Eusebius*, Interprete S. *Hieronymo*. Et tamen *pontem lapideum*, quo *Danubium* trajecerit, ad ann. Imperii XXIII statuit Auctor Chronici *Paschalis*. Et quidem illo ipso anno his ipsis partibus fuisse *Constantinum* è *Codice* colligitur *Theodosiano*. Acceditque proxime ad sententiam *Theophanis* & *Cedreni*. Hæc si vera sint, ita Urbis *Constantinopolitanæ* saltem *Encœniis*, quibus nomen mutavit, antiquiora fuissent illa, de quibus agimus, *Constantini* gesta in *Barbaros*. Non me quidem fugit, ne quidem ipsis *Constantinopolitanis*, constare suæ Urbis *origines*. Nempe, ut videtur, quod Epocham *Urbis* suæ, post multos demum, quam conderetur, annos numerare cœperint. Est autem receptissima illa, apud optimos Chronologos sententia, quæ Urbis jam Conditæ *dedicationem* statuit *Symmacho* & *Gallicano* Coss. anno Ær. *Christ.* 330, cum in *feriam* II^m^, *Indictionemque* III^m^ incideret *dies* Urbis *Natalis Maji* XI, Auctore Chronici *Paschalis* & *Idatio*. Sic fuerit Belli in Barbaros *initium* initio *Dedicatæ Urbis* antiquior. Conveniet enim *Dedicatio* illa anno *Constantini* XXIV°. Sed sequenti anno *Constantini* XXV victoriam in *Gothos* ponit *Eusebius*. *Servorum* autem *Sarmatarum* rebellionem, qua effectum est ut in ditionem *Romanorum* venirent *Scythæ*, facit idem adhuc *triennio* recentiorem. Apponit enim anno *Constantini* XXVIII, qui exibat anno Æræ nostræ *Christianæ* 334, eodemque anno ponit etiam *Idatius*. Et quidem ita loquuntur plerique, ut victoriarum illarum saltem *finem* faciant Urbe *Constantinopolitana* recentiorem. Hoc si tempore scripserit noster, erit sane cur miremur nullam hic occurrere mentionem novi nominis Urbis *Constantinopolitanæ*.

§. 11. Potuit hic noster *Byzantii* nomen usurpare, etiam postquam condita esset *Constantinopolis*.

Alioqui autem tam *recenti* tantarum victoriarum memoria, erat sane opportunissimum, ut *nova* harum civitatum *nomina*, quæ *novæ* illæ *victoriæ* patefecissent, Auctor nostri Peripli *Græcus* civibus suis *Græcis* ipse similiter aperiret. Erat enim, ut videtur, ipse hujus Expeditionis *comes*, vel forte à comitibus *accepit*, quæ hic cum aliis communicanda censuit. Ab illis certe qui *regionem* ipsi obierant, nisi *ipse* hoc idem fecerit. Inde *linguarum* hujus regionis vernacularum peritia, *Alanicæ* atque *Tauricæ*, quam raram admodum legimus in hujus Sæculi Scriptoribus. Inde & *nomina* locorum *barbara* à *Græcis* admodum diversa, quæ fuerant in usu *exterorum* receptissima. Hæc enim *nomina* linguarum *parum celebrium* ægre fere quispiam præterquam in *vicinia* audierit. Ita nomina locorum *Wallica* rarus est in *Anglia Walliæ* non *finitima* qui habeat explorata. Huic ergo tempori optime conveniunt Auctoris nostri, quæ occurrunt,

runt, ut opinor, *temporis* notæ. Nihil habet certe quo tam *serus* esse vincatur, quam volebat celeberrimus *Vossius*. Ne quidem *loci* nomen, cujus *origo* recentiori Sæculo certo asseri possit, in eo reperimus. Hoc unum tamen, ut dixi, obstat, quod *Byzantii* nomen, non *Constantinopolis*, in Urbe *Regia* usurparit. Non quidem quasi *nomen* illud à *prima* novæ Urbis *fundatione*, saltem ab *Encœniis*, non fuerit assignatum. Cognominem enim ipsi *Constantino* fuisse, ipse, qui tum vixit, testatur [1] *Eusebius*. Et multa *Constantini* Edicta legimus *Constantinopoli* signata in *Codicibus*. Sed *Græcis* fortasse magis placuit nomen Urbis antiquum *Byzantium*. Et certum est nomen ipsum *Byzantii* satis esse frequens apud *recentiores* etiam *Sophistas*, Historiæ *Byzantinæ* Scriptores. Dedita enim opera sermonem *Sæculi* non *sui* usurpant illi antiquorum æmuli. Λέξεις præcipue *veteris* florentisque *Græciæ* adhibent quibus tot suppetebant purioris ævi *Lexica*. Sic observavi ipse in *Luciano* λέξεων veterum superstitiosissimo cultore raro Magistratus *Romanos* vocibus coævæ *Luciano Græciæ* designari, ὑπατικοῦ, Ἀνθυπάτου, sed *veteris Græciæ*, quæ *Romanos* dominos nondum agnoverat, ἁρμοστοῦ, στρατηγοῦ &c. Similiter fecit in Rectoribus Ecclesiæ *Christianæ*, quos nec ipsos nominibus denotavit *Græcis Ecclesiasticis*, sed *Græciæ* illius quæ *Christi* vel *nomen* ipsum nondum audiverat. Erat porro in *recentioribus* Græciæ Scriptoribus *affectatio* illa, potius quam *æmulatio*, *Græciæ antiquioris*, insignissima. Μηδισμὸν appellabant antiqui *Rhetores*, siquis *Persis* faveret *antiquæ Græciæ* universæ hostibus infensissimis: nec immerito, quod *Cyrus* maternum genus à *Medis* deduxerat, & *Reges* proinde *Cyro oriundi*. Eandemque *vocem* usurpant *Græci* etiam *juniores* de *Persis*, qui *tertio* demum Æræ *Christianæ* Sæculo *Parthorum* successionem interruperunt, nihil quicquam habentibus cum *Medis*, vel cum ipso etiam *Cyro*, commune. Inde *Persarum Turcarumque* nomen confundit *Nicetes Choniates*. Et *mensium* etiam nomina *Attica* adhibent *Constantinopolitani juniores*, cum tamen certum esset *Constantinopoli*, quæ *nova* erat *Roma*, non alios fuisse in *vulgari* usu *menses*, quam *Romanos*. Inde tanta illa *juniorum* dissensio, cum menses *Atticos* committunt cum *Romanis*, quod, ne quidem apud juniorum Sæculorum Eruditos in confesso esset, quis mensis *Atticus vetus* cui mensi *Constantinopolitano recentiori* responderet. Hos ergo nihil est cur miremur si nomen Barbarum *Constantinopolis* neglexerint *Græciæ veteris* Vocabulariis prorsus incognitum. Magis autem est cur miremur idem facere *nostrum*, qui professione *Geographus* est. His enim à *vulgo* potius, quam à *Veteribus*, norma capienda erat. Illud ergo loci nomen magis probandum, non quod à *Classicis*

1 *Euseb.* Vit. Constant. L. III. c. 47.

Auctoribus,

Auctoribus, ſed quod à *vulgo*, magis uſurpatum erat. Sic enim fieret, ut de quo loco ageretur, Lectores facilius intelligerent. Procedit autem hæc ratio pariter in *Hiſtoria* ac in *Geographia*, ſi quidem *perſpicuitatem* magis, quam veterum ſuperſtitioſam *imitationem*, Auctores illi ob oculos habuiſſent. Et tamen *Hiſtoricos* illam neglexiſſe conſtat. Procedit quidem. Eo tamen magis in noſtro procedere videbitur, quod *mutatorum nominum* ipſe tam cautum ſe præbuerit monitorem. Nec porro fieri potuit, ut Urbis *Conſtantinopolitanæ* novum nomen eum *latere* potuerit, qui ſub ditione ſcripſerit Imperii *Orientalis*, poſt Urbem illam denuo à *Conſtantino* reſtauratam. Non potuit ſane. Quid ſi autem ſua hæc noſter *vetuſtiori* Auctori accepta retulerit, qui tum vixerit, cum in *Nicomedia* ſedem Imperii *Auguſtei* ſtatuiſſet *Diocletianus*, & tamen antea quam nomen mutaſſet *Byzantium*? Sic potuit Urbem eo potius nomine, quod in *Auctore*, cujus fidem eſt ſecutus, repererat, appellare; quam novo illo quod *ſuo* demum *Sæculo* notius erat receptiuſque. Cur autem ſaltem novi nominis Lectorem hic non monuit, ut in *Boryſthene*, portu *Daphnes*, *Aulæotiche*, *Apollonia*? Potuit in cauſa eſſe novi hujus nominis ipſa *celebritas*, major certe quam ut Lectorem illius ignarum ſupponere poſſet. Eoque major, quo novi nominis originem Auctor *propius* attigiſſet. Tum enim non potuit (ne quidem apud *vulgus*) nomen *vetus* obſoleviſſe *Byzantii*. Ita ne quidem *indocto* Lectori obſcurum fuiſſet, quæ eſſet Urbs, quam in Auctore ſuo *Byzantium* appellatam repererat. Eandem etiam fuiſſe, quæ tum *Conſtantinopolis* nomine veniebat vulgo, id quoque tum notius eſſe potuit quam ut de eo Lector fuerit monendus. Longe autem abeſt, ut eadem fuerit *earum Urbium* cauſa quarum *mutata nomina* noſter obſervavit. Illæ enim, quantumvis ſtirpe *Græcæ*, commercium tamen, ante *Conſtantinum*, vel *nullum* habebant cum *Græcis*, vel *rarum* admodum & ignobile. Ut facile proinde neſcirent *Græci* nuperas, ſi quæ unquam contingerent, in illis Civitatibus, rerum converſiones. Præſertim cum rari admodum fuerint apud illas domeſtici *Hiſtorici*, nec *exteris* nota *monumenta*, his maxime, de quibus agimus, *temporibus*. Sic facile neſciri poterant hæ *nominum mutationes*, dum *alienæ* eſſent Urbes illæ ab Imperio *Romano*. Neſciri non poterant in Urbe *Orientalis* Imperii *primaria*. Hanc ergo *ætatem* huic Scripto commodiſſime aſſignabimus, qua nec in *oblivionem* venire potuerit nomen antiquum *Byzantii*, nec viciſſim *Græcos* latere potuerit novum nomen *Conſtantinopolis*.

ERRATA. Pag. 80. pro διέξε lege διέταξε. Pag. 126. pro *Romnaorum* lege *Romanorum*.

OPUSCULA
PRIMO GEOGRAPHORUM VOLUMINE COMPREHENSA.

I. *Hannonis periplus.*
II. *Scylacis periplus.*
III. *Agatharchides de Mari Rubro.*
IV. *Arriani periplus Ponti Euxini.*
V. *Periplus Maris Erythræi eidem vulgo adſcriptus.*
VI. *Nearchi Paraplus ex Arriani Indicis.*
VII. *Marciani Heracleotæ periplus, cum fragmentis Artemidori & Menippi.*
VIII. *Anonymi periplus Maris Euxini.*

Sequentia Volumina complectentur

I. *Ephori fragmentum, hucuſque ineditum, penes Cl. Dodwellum.*
II. *Dicæarchum de Statu Græciæ.*
III. *Ejuſdem fragmentum de Monte Pelio, è Muſéo Cl. Joannis Alberti Fabricii.*
IV. *Iſidorum Characenum de Manſionibus Parthicis, Hœſcheliana Editione longe auctiorem, deſcriptum è MS Codice Bibliothecæ Regiæ Pariſiis, ac à laudato Fabricio ad nos tranſmiſſum.*
V. *Scymni Chij periegeſin.*
VI. *Dionyſium Byzantium (ſi ad manus noſtras tempeſtive ſatis pervenerit) de Thracio Boſporo.*
VII. *Agathemeri Hypotypoſin Geographiæ.*
VIII. *Plutarchum de Fluminibus.*
IX. *Strabonis Epitomen.*
X. *Monumentum Adulitanum, Editis auctius.*
XI. *Anonymum à Gothofredo editum.*
XII. *Coſmæ Monachi Typographiam Chriſtianitatis.*
XIII. *Nicephori Blemmidæ Commentarios in Dionyſii Periegeſin, è Manuſcripto Bodlejano.*
XIV. *Ptolemæi Longitudines & Latitudines Urbium, ex Theonis Codice in Bibliotheca Bodlejana.*
XV. *Gemiſti Plethonis* Ἀνέκδοτα *quædam, ex eadem Bibliotheca.*
Quibus & alia id genus addentur, ſi qua nobis ab eruditis harum literarum Cultoribus fuerint ſuppeditata.